

1492 a. 65

PETRI RICHERII

LIBRI DVO APOLOGE-
TICI AD REFVTANDAS NAE-
nias, & coarguendos blasphemos errores,
detegendaque mendacia Nicolai Durandi
quise Villagagnonem cognominat.



PSAL. XL I.

*In hoc cognoui quod placuerim tibi, quia non iubilabis
inimicus meus super me.*

JULIUS
FABRICIUS
OTT 1633.

M. D. LXI.

POLYPHEMVS:

Ipse Iouem & cælum sperno, & penetrabile fulmen.



*Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Solamenque mali de collo fistula pendet.*



Digitized by Google

Abella pictum quæ tibi exhibet monstrum
Cyclopicum, benigne lector, & luscum,
Hanc addidisse quippam putas falsi?
Aliquid silentio potius abest pressum,
Quod contineri pagina breui haud possint
Tam multiformes corporis notæ vesti,
Animique studia tam varia mali, & motus.
Insigniora virtutia sola promemus.
Pro Nicolao Nicocolacis illustre
Consentientisque moribus refert nomen,
Quercusque duræ stipitem gerit corde,
Vel glande dignus veszier. Sed & stemma
Quia nullum autum sanguinis sui nouit,
Quo se superbus venditet apud ignaros,
Titulos inanes aucupatur & falsos,
Genitore natus villico bubulco que.
Ni iudicandus nobilis, quod impressa
Corpori & iniusta Gallici ferat sceptri
Insignia: ut quod denegarit iniusta
Natura nascenti, sit hoc sua nactus
Industria, rebusque fortiter gestis.
Agaso equitibus se aggregat mola dignus,
Legumque Doctor credier, gulæ coctor
Affectat, onagros inter ebrios, ructus
Dum crepat, & ampullas vomit, canis fædus,
Cynædici gregis cliens & assecla.
Verum meretur maximum decus, nulla
Quod ceciderit causa Patronus excellens.
Credo. Quis adeò stolidus ut velit iusta
Sua credita huic Prædoni bianti & infido?
Quanuis repente Theologus siet factus
De Rege nullis subditis satis noto,

a.ii.

*Imperij & arctis finibus: quod aequabat
Agrestis aut cortis vel areæ aut templi
Sacris patia. Ut enim Dei euidens hostis
Et religionis, se tamen Sacerdotem
Summum creare voluerit, puto lippis
Tonsoribusque cognitum: quid etiam inde
Sit consecutum: destitutus ut cunctis
Comitibus, & viribus Anarchia fractis
Reuiseret nostram Arcton, alteri ut Regi
Rubro galero se locare: & Papæ.
Cuius culina feruido tumens iure,
Et poculis Sorbonicis madens totus
(Quippe excitatur bilis hoc modo & zelus)
Pro veritate suscipit graues curas,
Sacraque doctrinatuenda, ab infandis
Et vindicanda erroribus. Quod ut fiat,
Antropophagus alto elicit polo Christum,
Manditque viuum dentibus feris Cyclops.*

*Romana meretrice militem suum lato
Foue at sinu reducem. Quid illa fecisset
Atlante tali vidua? Quid ue Sorbona?
O Demochares, humeris fidem tuis fultam
Qui Christianam sustines, fatigatos
Artus refice. Consociet agmen & tecum:
Mallardus Heros in clytus graui vultu.*

*Romana sedes stantibus tribus vobis
Stabilis manebit. Sin loco & gradu pulsos,
(Breui hoc futurum est) vos necessitas cogat
Vertere solum, Nauarchus iste Dux & Rex
Classe numerosa ducet in nouas terras:
Vbi reparato Ecclesia statu vestra
Nunc euocare poteritis Deum Papam.*

P E T R I

PETRI RICHERII

aduersus Nicolaum Duran- dum, cognomine Villaga- gnonem, Liber prior.

SECILICET NON satis malorum erat in Gallia, non satis crudeliter veritatis hostes in bonos & innoxios sauebant, non satis effrenili- centia tumultabantur multi improbi, nisi ad cumulū accessisset conductius nebulo, qui ex polo Antarcticō reuersus, linguae suæ proteruiā ad spargenda maledicta, vel caninos potius latratus, partim locauit, partim expiationis causa obtulit. Nam ut erat famelicus, acceſſe habebat victum sibi alicundē conficere. Repudiariſe ab omnibus cordatis & honestis videbat. Ergo quod vnum restabat arripuit, ut se furiosis Christi aduersariis vendi taret. Cæteram quia eosdem quoque sciebat aliquando sibi fuisse infenos, hoc quoque plationis genus sibi necessariū esse duxit. Huius

a. iii.

ADVERSVS VILLAGN.

belluæ importunitatè factum est ut ego præter
animi mei consiliū, ad hanc scriptiōnem trahe-
rer. Nam post multas cæli, terræ, marisque mu-
tationes, quum iandudū paulo maiore otio frui
datū esset, vocationi, cui me Deus pro singula-
ri sua gratia destinauit, intentus, placidè meos
auditores döcebam, dum ecce meum otium con-
turbat hic Polyphemus, cuius impetū excipe-
re me necessitas coëgit. Is est Nicolaus Dorā-
dus (si & corporis vastitatē, & vultus truculen-
tiam species, monstrum horrendū, ingens, mul-
tisque & sonoris, sed umbratilibus dignitatū ti-
tulis superbū) qui turbulēto animi furore irrū-
pit in mediā arenam, spumans & frēdens, exer-
cis vnguis & rictu cōtracto, vt obuios quo-
que sinedeleatu impetat. Sed nescio quomodo
prætermissis robustioribus athletis quibuscū
sine puluere & sanguine certandū nō erat, in me
solū innoxium & imparatū sua tela, & qua po-
tuit arte instructos conatus cōuerit. Non quia
de nobis triumphos quærat, quos semper de-
spexit, nec quia dignum putaret quo cum suas
vires experiretur: sed ad suam gloriam operæ-
pretium se fecisse existimauit, si per abiecti ho-
minis latus, in optimū virum, & de re Christia-
na optimè meritum Ioannem Caluinum con-
uitiis certaret & debaccharetur. Hoc quoque

obsequium gratius videbat fore suo patrono,
cui seruiliter & putidè addic tus est. Ergo vt
turpiter pro more adularetur, hoc compēdium
vt maximè appositum captauit. Et aliqua for-
tè ex parte veniam multi dabunt, quòd acerri-
mum telū sit fames & inopia. Non habet quòd
atranti stomacho obiiciat, quo miserum nu-
dumque corpus obtegat. Nihil igitur mirum si
ab aliis culinis exclusus, vnius nidorē olfaciens
gratificari domino voluit. Verùm detiore est
eiús improbitas, quām vt aliquid excusationis
admittat: siquidem iam tūc quum illam Fran-
ciam quam finxit Antarcticam desereret, fucū
prætexuit, nouā se expeditionē suscipere, nēpē
vt cū ipso Caluino, Genevensib[us]que omnibus
fortiter configeret. Neque enim eos simul de-
bebat in certamē vocare triobolaris homo, ad
clitellas tantū humeris gestandas natus: sic e-
nim loquendum est de hac vasta corporis mo-
de, in qua ne imicām quidē salis reperias. Calui-
nū tu prouocabis? quo pugnæ genere? Ut ma-
jot appareas Theologus? qui ne prima quidem
elementa gustasti, quum illius viri eruditio[n]e
aduersarii formident, omnes sanivenerentur.
Quihet iam mare se traieciisse iactat, vt Philip-
pini Pontanū, quem nouerat sex antea men-

a. ivi.

6 ADVERSVS VILLAGAGN.

sibus vita sumptum, & saepta patroni cui gratificatur tyrannide oppressum, armis lacereret. Sic cum larvis intrepidè magnanimus vir luctatur, qui viuo illo ne mussaret quidem, sed pauidus trepidusque procul fugeret congressum. Addit præterea, quod plusquamridiculum est, existimationem suam à Caluino læsam. Quænam hæc auis obsecro, vel cuius coloris Deinde Caluino à seriis occupationibus tantum est otii scilicet, ut has quisqulias curet. Necdum te pudet fatuitatis, Durande? Verum ne multis quibus incognitus est, pergit hic augator imponere, paucis detegendus est.

N I C O L A V S Durandus, obscurus homo, & ignobilis familiæ, ex vico Pruuinensi, angri Meldensis, patre tamen pedaneo iudice natus, villico illiterato, non quidem improbo, sed quem mens non satis firma plerunque vexaret: cui quum res angustior domi esset, quam quæ pauperulæ familiæ, quam habebat non adeò exigua, sufficere posset, fratri sacrifici (qui & ipse erat mente captus, & planè maniacus) liberalitate adiutus, cum in liberalibus studiis instituendum curat. Tandem Philippo primogenito contigit Praefectura iudicialis in patris locum suffecto: alteri ex successione par-

trui

trui Nouiomensis canoniciatus. Nicolaus hic noster, quum vix primoribus labris Iuris ciuilis rudimenta attigisset, iniciatur sacramento patronorum in Senatu, ut illic pauimenta Palatii tereret cum multis ignauis, quos vulgus Pilati aduocatos nominat, quia nulla in ipsis inuenitur causa. In ipso tamen actu ante asperitus notabili dedecore, & grauis Praesidis Liseti conuitio increpitus, quod parum decorè vestitus prodierat: deinde à tota Curia ignominiosè repulsam ferè passus, quod neglecto ordine, ius postulandi sibi ipse petere ausus fuerit. Quartus in Franciscanorū familiam asciscitur. Disparès illi quidem professione, multumque dissimiles, sed hac in re parés & ferè gemelli, quod eodem animi morbo, atque eodem furore laborarent omnes. Omnibus illis mens vaga, inquieta, nec ullo temporis momento sibi constans: qui audeant omnia, atque moliantur intrepidè, effæxi ambitione, & comite pertinacia, perficiant autem nihil. Philippus sorte sua non contentus, præter animi vires, Senatorium ordinem ambit. Empta dignitate (quæ fuit illius temporis calamitas!) ab ea propter imperitiam, animique stoliditatem deiectus est & turbatus. Franciscanus verò, qui per

illius ordinis imposturas nativo furori multū adiecerat, emotæ mentis aut dementiæ vbiq[ue] sua testimonia edit. Sed in primis quod Solem & Lunam sua numina colit: impunè tamen, dum conniuetur ob recordiam non incognitam. Canonicus ille eodem agitatus morbo, in proximos quosque lacus & paludes, pretiosioribus ornatus s[ecundu]m se non sine graui periculo d[omi]n[ic]iecit: atque ea in re sancte se Deum colere putauit, quod existimaret propheticè prædictum, sacrificos putidos missarios (quos vocabat Christos, in quorum esset numero) Deum à profundi aquarū voraginibus & abyssis liberaturū. At verò patruus ille, cuius haud ita pridem meminimus, quū causa parum honesta cecidisset, litis acta, testationes & instrumēta non admotū pauca aceto temperata, palam mandit, motuit, & vorauit, quod ab illis minutus, graue dā nū accepisset. Sed ex hac fanatica familia, qui magis visus est furere, Nicolao nullus omnino fuit. Neque enim unquam triduo sanus apparuit, quin statim mira mētis cæcitate, & mortu cōturbatus, prodiderit nullum sibi tranquillum esse mentis statum. Præter autem eam animi intemperię, natus est ingenio malo, praud & proteruo. Profana quidem eius impietas & Deicon-

Dei contemptus nimis multos habet testes. In
communi autem vsu immanis feritas. Tumul-
tuos & tamē malitiæ admixta est versipellis per-
fidia. Interea, vt solēt prodigi homines, alieni
appetens, sui profusus : sed qui dies noctesque
procul arbitrī conturbetur rei familiaris ino-
pia, & scelerū cōsciētia. Notæ sunt, color sub-
cinericius & exāguis, oculi fœdi, prorsus in fa-
cie vultūque vecordia, qui etiā si aliquando sa-
pere videatur, exitus tamē sēper habet furiosos.
Singula autem amētiæ suæ documēta, & ope-
rosū & inutile esset recensere: sufficiet paucula
quæ ad rem faciant, attigisse. Primus itaque ei
in Rempub. accessus fuit, vt nuper attigi. Quū
libellū de more Senatui porrexisset vt in aduo-
catorum numerum adscriberetur, referente ex
patronis quem delegerat, qui eum cōmēdaret,
dū id agit, Durādus prorupit, defurbatōque pa-
trono, reclamātibus cæteris & Senatu silentiū
iubēte, ipse pro se verba facere tētauit : atque
ita sua importunitate risū, non sine stomacho,
omnibus mouit, vt parum absuerit à perpetua
ignominia. Postea in totū ordinē patronorū,
maledictis quibus abundat, magna cōtentione
& ruptis omnib⁹ pudoris & verecūdīæ habenis,
tumultuatur: donec in custodiā demissus, ægrè

tādem impetravit insolentis sui fastus veniam; quod furore correptus has turbas suscitasset: neque tamen ad agnatos gentilēsque deducēdus, quia vix est quisquam inter eos qui nō indigat tute. Verūm quum ad se rediit, ubi hanc maculā eluere se non posse animaduertit, aliò sibi prius migrādū esse cogitat quām suā demētiā fama cum digito demōstraret. Et cū amicis hāc sibi cōditionē deligit, ut ad imbellium Rhodiorum equitū ordinē transfiret. Sic urbana solutus militia, ad armatā militiā (quæ tota sit in meretriciis voluptatib⁹ demersa) quia morib⁹ eius erat aptior, diuertit. Neque de maiorū suo rum stemmatibus, & lōgiis repetito generoso sanguine dubitat. Cruce insignitur Lutetiae à Tē plariis absque altiori inquisitione, quæ ad totū ordinē demādetur. Sic designatus noster patronus, tūc primū alligatur ad scipionē, & nobiliū togis decor⁹ incedit. Et quod fatuis est in vsu, à publicis cōetibus & locis abstinere nequit, neque ab ipso Senatu: ubi simul atque agnitus est, vix domū saluus rediit, cōcursatibus omnibus, ut decurtato patrono anteuerteret. Tādem profectus Meliten, sui status quæstione mota, post multam maiorum suorum historiam, rogatus quo-lare, quōve patrono, mentitur multa. Ea quum

quum non liquerent, dato à toto ordine decreto ad eos quos vocant præceptores populares, qui testimonia exciperent, remissum est negotium. Quæ quum frustrà tentasset Durandus, probationes vna cum suscepta cädida cruce, ipsum quoque ordinem dimittit: & in Regiam Francisci regis, eius nominis primi, secessit algens & miser analæctes, culinis Principum illectus & captus, à quibus nec ipso verbere diuelli poterat. Illic annis aliquot parasitū egit: sed paupertatis & aulæ duriiores aculeos sentiēs, quū à se discutere nequiret, cœpit seriò & composito vultu adulari, prædicare quid posfit & valeat, hominem se natura acutissimum, in multo genere disciplinæ versatum, non iuuenem ex ludo, sed ætatis tunc plus mediæ: in luce reipub. educatū & auctū, in causis forensibus non imperitum aut rudē, quique in Iure dicundo plurimam operam nauasset, qui Iuris nodos & legum ænigmata soluat: sed in primis generosis maioribus ortū, quorū fumosas imagines narraret, hoc est stiua, perones aut cornu quo sui subulci maiores porcos ad caducas glādes legēdas cōduxisset. Se ad tēpus belli pacisque aptissimū, terræ marisq; peritissimū: quodque scalmū tractasset, aut vidisset ī litore, nauarchū p̄fūstare posse. Et iam cōposuerat nescio quid

de naufragio classis Cæsarianæ: quo tempore Carolus Argeriæ expugnare volēs, soluere è portu hostium incursione coactus, & fœda tempestate vexatus, vix cum paucis saluus euaferat. Quæ quum importunè nō cessaret ingerere, vt hunc molestū crabronem à suis auribus depellerent principes, obtinet vnā cum aliquot similibus, nauigiūvnius atque alterius tricemis. In quibus quum piraticam exercuisset, lucrum ex re qualibet sestatu, scéque nefandis furtis & latrociniis maculasset, nullum sceleris genus breuibus Gyaris dignū, reliquit intētatiū, quod in Deū, hominésque cōmitti possit. Ea recensere nostri instituti nō est. Sed hoc vnum dixisse satis sit, quòd Imperatorē agens in nauibus, rixatus cum vno ex suis, tanto furore excanduit vt vno exēplo docuerit quantū barbaræ crudelitatis in bruto pectore resideret. Vinctū hominem funibus & catenis ferreis, nouo tormenti genere, quod nec Phalaris ipse cogitasset, suis manibus necat, exurítq; decidētib⁹ in vniuersū miseri hominis nudū corpus à craticulis cādenibus iniecto porcino adipe, flāmis. quod solet porcellis fieri dū in cibū parātur, ad exsiccādā incrassādāmq; cutim. Cui⁹ tā raræ & fœdæ inhumanitatis ne periret memoria, vir nobilis à Sancto

Sācto Albino Normānus testatas probationes confici curauit, & aliquando in iure exhibuit: quod postea per Durādi absētiā neglcētum est. Tūc editis publicatīsq; suis nauigationib^o, multa de se prædicat, & mētitur magni illius nebulonis & imposturis Villagagni opera, fortitudine & armis saluū à Turca Christianismū. Et ne maiorū suorū infamia notetur, paterni nominis ptæſ^o, nomē familiæ mutat, quasi suæ ignominiae perpetuā notā. Mutuatur autē, & falsò sibi Villagagni nomē adscribit, vt tenebras hominū oculis obducat, fīatq; sola nominis mutatione nouus homo, Villagagno. Neque satis primū intellexit effētne Villagagn^o dicēdus an Villagagno. Priùs illud placuit, hoc posterius, qui præclarè suo operi se Villagagnonem præfixerit. Est autē Villagagnū (vt barbarū, sic aurib^o insuetū nomē, cōfīctæ nobilitatis Durādi insigne ac vexillū, quod tanta existimatione dignū putat) humilis pecuaria casa, ex stramētis, luto & argilla cōpacta: prædiolū nō modò rusticū, quod vix quicquam domino præstet, sed stabulū quod ad fructus conseruandos vix sufficiat: verūm stabulandi pecoris & exigui gregis paucorūmque porcorum causa paratū, in quo ne minimā quidem glebā Nicola^o Durā-

dus possideat, ex qua vel oleris plantam legat, quanuis hic denominatione nuper cogitata, sibi placeat fatuus fastuo sūsque nebulo, & vnde sua pecuaria stemmata repetat. Hæc celebris generosæ domus fama, ii maiores, ii penates & arces superbæ Durandi: cui præstiterit popinarum veru, lebetes aut craticulas gestare (suæ gulæ præclara insignia) quām ēsem aut clypeum, cui non magis quām cuiquam alteri ex suis vñquam galea frontem abscondit. Eat nunc Nicolaus, & tumeat maiorū sanguine, pauper armentarius, vilis rusticus & totius vulgi fæx pudenda: eat (inquam) & quærat aliud quò fœdum suum nomen & genus prædicet. Reuocatus postea à tricemibus reus perduellionis & repetūdarum, quū ex tot furtis & direptionibus nihil sibi esset reliqui quod fisco pro noxa inferri posset (quē domi inopia, foris & alienum, miserā mētem, ingeniū, totum denique hominē grauis dementia premeret) tāquā inanis & vacua hominis imago, capite saluo dimiss⁹ est. Elapsis postea dieb⁹ nō multis, quū ad suorū criminū cumulū nō cessaret adii cere, tot scelerū ḡe⁹ postulat⁹ & repetitis quæstiōnib⁹, corp⁹ animūq; obduresceret, tādē flagellis cæ⁹, cādēti lilio altos i humeros ipresso, aduersas

aduersas cicatrices, meritas suæ improbitatis
 pœnas, stigmaticus nebulo passus est; quæ sui
 dedecoris vestigia fœda æternū posteritati te-
 stimoniū redditura sūt. Sed statim redit, per-
 gítque stolidū impudēnsque caput, quod cru-
 bescere nescit. Per id tempus Roberuallus de-
 coctor nauigationē multo suo malo suscepā,
 propter inopiā reliquerat, quam absque corri-
 uali ambit Durādus, quem fames & nuditas in
 cælum adegisset. Itaque Roberualli gurgitis
 prouinciam, miser & esuriens ganeo Durādus
 occupat, non nullis principibus (vt ab hominis
 importuni molestiis liberi essent) annuētibus:
 sic neglectā ab omnibus desperatorū hominū
 nauigationē suscepit. Quid enim non faciat is
 quæ nuditas, penuria, fames, creditorū durities
 quiescere nō patitur? Accepimus autem à pro-
 batæ fidei viris, Durādum à Roberualli facul-
 tatibus & moribus eo differre, quò à nobili &
 splendido obscurus, à diuite pannosus mendic-
 us. Ille insuptus immodicos stultarū peregri-
 nationum, autī patrimonii satis amplos pro-
 uentus, pulchrāque latifundia profudit, & de-
 coxit: hic sui nihil. quum nihil haberet, & ad
 monachis ipsum Rhodium confugisset, è fisco,
 primū decies mille, postea mille sexcētas acce-
 p. C. i. b.i.

ptas libras, corrasit. Ut terque infanus & prodigiis, qui nèque modum, neque finem expensarum habeat: hic præterea membris & communis s̄esus egens, profusus sit ad loquendū, præstet autem nihil: qui quā lubet pascitur, quod dicebat Appius de pēcore Luculli. Huic itineri quūdēssent focū, multos licet vanaspē tentasset, reperit quosdam quos flagitium, egestas, conscius animus, exagitabat: quōsque ad duros cafus ferendos, inopia & mali mores stimulabant. Apud pios homines pietatē mentitur, & quū aliud haberet clausum in pectore, aliud in lingua promptum, pollicetur in America liberam fore prædicādi Euangelii, & Dei collendi potestatem. Nihil sibi prius atque optatius contingere posse, quam si probos viros ad pietatē bene cōpositos hanc ifcatur, qui Ecclesiam Dei apud Barbaros homines plantare, ex verbi Dei instituto nō grauentur. Illis pollicetur amicitia, & firma charitatis officia, sibi prius quam illis defuturum. Atque id ut cūrent & perficiant se authore, magnis precibus cōcedit. Neque defuerunt viri & graues & mediocriter diuites, atque etiā eruditī, qui distractis possessionibus, ut Antichristi iugum disceptarent, in Americam nauigassent, nisi statim fucus Dus

cus. Dux adiutoriam laem partisset. Sic dimis-
sus gloriolus Thrasp, tandem longis iteribus
Americæ in eam partem appulit, quæ à nautis
Friæ caput appellatur: quo quum turmatim
Barbaros aduentare celeri cursu sensisset, nec
illinc clam discedere integrum esset, audiret-
que Lusitanos illis duos esse reliquos qui in esu
parabantur, palpitans de se suisque actum esse
putat, & animum despondet: sed à nautis ut
bono sit animo iussus; collatis muneribus mi-
nutulis, quibus Barbari delectari solent, ad clas-
sem reuocatur. Neque postea induci potuit
ut ab alto in litus deduceretur. Tandem postu-
lat ut in desertam, & ab omni hominum cultu
vacuam insulam trahatur, quam resumptis
viribus animi, metuque posito, postea Col-
lignum appellavit: ubi socius ferarum, vipe-
tarum & draconum factus, satis sibi esse pu-
tauit, si delitescens, pericula quæ à Barbaris
imminebant, diffugeret: cœpique stabulum
ex luto foliisque compactum & opertum, ma-
gno suo labore construere, quo aquam plu-
uiam arceret, corpisque ab iniuriis imbrui-
um & noctium protegeret. Est autem ea in-
sula in ipso sinu Americo, quem huius tractus
qualitas sit nullatenus iste prob. b. ii.

prouinciales GALLIAE vocant: Lusitanautē Iannarium dixerat, quod in illū sinū mō-
 se Ianuario primū nauigasset, in eāque insu-
 lam appulissent. Exīque sinū ille ab Oceano,
 modico veluti inter duo promontoria inter-
 posito interuallo . Quotquot autē illic videris
 insulas (sunt autem non paucæ) desertæ sunt
 omnes, & nocentissimis feris refertæ: quarum
 nulla est quæ aquam dulcem ad hominum usus
 conuenientem proferat: quam ex continenti
 bidui spatio adferri ad Colligniam insulam o-
 portet. Viuitur piscibus & viperis, nullus est a-
 lius carnis usus: radices cōmutatis mercibus
 à Barbaris, non sine periculo , in panis & vini
 locum habentur . Lusitani decem, vix ita pridē
 illinc à Barbaris expulsi, lapides ex cæsis & ru-
 tis reliquerat, quos collegit Durandus, & præ-
 ter stabulum ex illis & asseribus paucis, luto &
 foliis compegit casulā, quæ Villagagnū illud
 (de quo paulò antè diximus) referat, quam vo-
 cauit arcem inexpugnabilem, quæ sit Barbaris
 omnibus terrori. Occupant insulam monticu-
 li duo: neque supersunt à montibus plus se-
 ptē terræ iugera, quæ in vniuersum ad duo-
 decim iugera terræ non protenditur . Illa est
 metropolis magnæ illius Franciæ Antarcticæ,
 quæ præter

quæ præter Colligniū, nē minimā quidē terræ
glebulam teneat; in qua (præter id quod natu-
ra concessit) nihil munici, nihil clausi ad arcen-
das seras habeat. **H E R I C O P O L I M** se in
continentide nomine Regis ædificasse menti-
tur Durandus, in quo nihil possideat, nihil ædi-
fiebit præter apertum hartulum semi iugeris,
in quo nihil videas hortense. Domus est quidē
quæ vix decem porcos teneat, quod nostri ab
Argilla Tegulāriam nominauerunt, quæ cen-
tū propè stadiis ab eo loco quæ Hericopolim
dixit, precariò tamen à Barbaris accepit. Sed
vanus est mulio quod scribit, suo auxilio Mar-
caianos suos confederatos Caraianis bellum
intulisse, eosque sudisse, quos omnes Barbaros
quæ metuit, diligenterque curat; ne quis-
quam ex suis illis sit molestus, ne illis sit esca.
Audet cælo, terræ maiisque fatuus iste scurra
indere nomina, non qualiter Adamus commu-
nis patet, cui antea proposita sunt ea quibus no-
mina impóneret: verū quod pedibus non tri-
uerit, quod oculis non subiecerit, sed tanū
quod vanâ opinione, animâque conceperit,
Franciam Antarcticam vocat, vrbes aut ca-
stra nulla imponsa aut artificio, sed stulta cogi-
ta. A b. iii.

tatione componit. Neque veretur quod semel animi furore collegerit, iam se perfecisse, apud Regem, cæterosque proceres, veluti opere perfecto prædicare. Hæ sunt arces, hæc Durandi propugnacula, hæ moles. Pueros duodecim Caraianos, acceptos interpositis mercibus à Taupinabano, duce Marcaianorum, ex Caraianoru*m* vicitorum numero, quos cum patribus & familiis superarat (inter quos perpetuum est odium & capitale) in Gallias ad Regem mittit, singitque suorum prouincialium, & coloniæ liberos esse, in quibus summū ius habeat & imperium: qui tamen Barbarum nullum vñquam suo iure possederit, nulli imperet, omnibus sese submittat, omnes ex æquo formidet, ad eorum insultus semper palpitet & paueat. Paucos admodum Barbaros excipio dono acceptos, quos vincitos teneat ad operas præstandas. Cæteris omnibus obuiam mittit sua munera, scilicet ad eos placandos & sedandos, siquid forteturbarum intercesserit. Sic occupat æra Durandus impostor, dum Regi, Regisque ministris multa mentitur & imponit. Atque ut quod lubet persuadeat, statim atque illò peruenit, Franciscanū

Andream

Andreas Thenetum, sui itineris socium, quem
 (licet literarum omnium, præsertim Sacra-
 rum, imperitum) deduxerat, ut sacris præ-
 esset, remisit: historia suæ nauigationis prius
 conscripta, quæ sub illius Franciscani no-
 mine prodiret, ut suorum mendaciorum di-
 gnoum testem haberet, atque his artibus ma-
 gni nostri Durandi fama apud omnes lon-
 gè latèque diffunderetur, quasi ipso inscio,
 aut nihil minus cogitante. Interea tamen
 homo nihili de regno cogitat, ac tantæ di-
 gnitatis desiderio totus languescit, sibi que
 persuadet à Rege suis artibus impetraturum
 his legibus conscriptis. Primum, ut regale
 beneficium, sit masculum (quod *ligium* Lon-
 gobardi vocant) cuius inuestitura ad solos
 reges pertineat. Alterum, ut annua sex mil-
 lia librarum, in quotidianos sumptus, regi
 Antarcticō Rex Gallus numeret. Sic se Fran-
 ciam Antarcticam, id est iugera terræ se-
 ptē, regnique coloniam suscepturnum, quam
 à vicinorum iniuriis tutetur & defendat, lon-
 giusque suos limites protendat suo periculo, ac
 quicquid armis cōsequatur, Regi accepto latu-
 rus sit, quod Fraciæ Antarcticæ iure accessionis
 a dūcāt.

b.iiii.

C. M.

A D V E R S O V I S T V I B A L G A G N.

acrescat. Insulam illam, vacuam, & desorbam
& aetate fami denique. Admirando sancte fidei
potestatis & dignitatis ambris, quam prius Coh
lignum appellasse diximus. Sed dum rauiga-
tionis felicis & proprieatis regni ad regem deo-
serumur literae, splendens duus in via ouo thea-
tro; urbes; palatia; castra; portus & stationes;
penicillo describit: nihil non mobilitur gestu
& verbis, ut tantæ molis imperium simul in-
stituat, ædificet, componat & conseruet. Cæ-
tera fugiebant; numini, res frumentaria, artifi-
ces; materia. edebat quod reliquum erat in
navibus. Proximos Hispanos qui tanti prin-
cipis fama excitata illò se contulerant, exce-
pitam nec à quibus impetrat, quasi præfes esset
pecunia, aliquid frumenti: quos quum se felli-
set, ab radices contusas, patro more ructan-
das confugerè operæ pretium fuit. Neque sup-
petebat cuiquam instanti regis comitatu, quo
vel audum corpus tegere, aut latrantem sto-
machum sedare posset: sed omnes animam
misere trahabant. Fasciculo literarum acce-
pto, vix continere risum potuit rex Henricus,
lecto primo quoque versu. Sed dum pergit,
solnuntur cachinni vehementes. Adest Mōmo-
rentius, & proceres ad duplicandos, multipli-
candos.

candōsque risus ad lachrymas. Sparguntur yng
dique tanti principis literarū exemplaria. Tan
demā Lāsirano, oratore rei veritas apertius cō
firmatur: Villagagnanem in heremos & hor
rendas solitudines, ab omnibus qui similē na
uigationē suscepérat, neglegit, appulisse. Oc
cupasse de cēm plus in his terræ iugera, arida,
salsa, arenosa, nulli prorsus usui hominibus
& pecori apta. Præterea posse se illō stare nullo
culus quam in cōmodo. Hoc ille id est fastuosū
& celebre magnifici Durāndi regnum ac impe
rium. Quid plus? Iam scilicet agendum erat
de colloquanda uxore regi Durādo, nisi ex liban
tus equitibus Rhodiis indictus Pontificiis legi
bus, v̄tasset: quod viros principes cōi inuit ne
incōfulto Romano p̄tifice quicquam mouere
tur. Oriebatur & alia nō inferior, quæstio, quæ
iocoſē diu multūmque agitata est: Nū inuictus
rex Durādus (cui nūquam certare contigisset)
fratis regis titulo decorādus esset: creabat du
bitationem, à multis iam secglis receptus usus,
quo reges se mutuo fratres appellāt. Sed nō de
erāt urbaniores politioresque, qui regē Durā
dum Antarcticū Midam dicerēt, τὸν πατριόνα
έντειον, qui iudiciū tulisset, quale olim Phrygius
rex, authore Diogeniano, quū Pan a prætulif

set Phœbo. Sic meritò verisque, ob stolidum iudicium aures asini contigissent. Iam ad meam profecitionem venio. Rogatus Ioannes Caluinus, vt aliquos ad instituendam Ecclesiā pios doctores mitteret, quanquā ad propagandum Christi regnum propensus est, auditō tamē Villagagnonis nomine, postulacionem spreuit. Pridem homini ad res nouastentandas lento, perspecta fuerat huius nebulous & vanitas & nequitia. Tandem se persuaderi passus est aliū esse. Precibus ergo multorum obtulerans, me & alterū ad hanc obeundam prouinciam hortatus est. Ac nos quidem pœnas dedimus. Ipse autem qui nos mittebat cum aliis primariis viris scelestè ab hoc perfido deceptus est. Quia verò iam ante nostrum aduentum quosdam probos & innoxios necauerat, alios fugauerat, probabilis coniectura est clām egisse cum nouo patrono & reconcinnasse perditam gratiam, quia eodem ferè tempore venerunt monachi vñcti & rasi qui se nobis opponerent. Qua arte & proditione nefāda simul & gratiā iniit, & aliquid æris accepit. Et qui prius, quoties de Romano idolo incidisset sermo (incidebat autē frequēter) in hunc frēdere, fremere, cōcitaris quem Sa-

quē Satanam, Romanū Antichristū, & perditū Christianæ reipublicæ hostem aperiè nomi-
naret, tunc neque ab eo diuellipoterat, quāuis
ad Christianam sanitatem & modestiam sæ-
pius reuocaretur. Imò verò Ecclesiaz vniuer-
salis dicere caput, Petri in Apostolatu suc-
cessorem, qui in animas potestatem haberet.
Ac nos quidem ei prius & publicè & priua-
tim in faciem restitimus, quām excusso pul-
uere illinc discederemus. Monitis fratribus
vt à deplorato nebuleone cauerent, non se-
cūs atque à fidei desertore perditissimo, &
Satanæ mancipio, quem necesse esset in pe-
ius labi, vt solent homines corrupti mente,
reprobi circa fidem, quorum insipientia ma-
nifesta est, sicut eorum qui restiterunt Mo-
si, vt Paulus admonet. Sic post præstitam
fidelem Christo operam, ieiuni, & nudi,
omnique subsidio destituti, nos Deo ciūs-
que gratiæ commisimus. Constituto pretio,
conducta per Pontanum à magistro & exer-
citore est nauis, annosa, rimarum plena, nul-
la anriona, nullis rebus necessariis instructa,
qua in aktum delatis sumus, nequid gloriatur
Dufandus nobis se creditum parasse. Ea, neque

alia fuit inter nos disputatio. Nos verbo Dei
& spiritualibus armis ville, armis y. conuictis,
deierationibus: i. impiorum, verbis, cate-
nis, insidiis, sapientia & conuictis, pugna-
uimus. Neque tamen induci potuit ut publi-
cè vel privatim domini suæ letæ hominibus con-
ueniremus, ex sacris literis veritatem in dagas-
toris. Cætora mentitur in uerescundé. Neque
enim nōs potauimus unquam, ex quo primùm
Durandum cognoscimus, animi levitate & mo-
bilitate Euangelii portafutu. in superstitionis
Papisticæ vanitatem relapsi in; deinceps a heis-
muni in dæsse, vix falso obiecunt. Quis enim
putaret unquam impium Dei contemptorem
discessione fecisse à pietate quam nō agu-
stauerat? Quicquid igitur atheismum induit, exuit
nunquam, in epotus ost. vt fuit. Docet autem
nos Spiritus Dei omnes apostatas esse, qui
pro mentis suæ caligine, dæmonia supponunt
in Dei locum. Tales fuisse aliquando Ephe-
sios pronuntiat: Paulus, sine Deo & religio-
ne; donec ex Euangeliō didicisset versus Deum
colere. Durantus autem cum Galilay, Me-
zentio, Diagora, nullum sensum. Dicitur
tis habet, neque Christianus sacerdos, neque Pa-
patum sectatur. Omnia ex æquo despicit:
dignus

dignus qui in Epicureorum porcorum hara,
dum viuit, cum suis Rhodiis volutetur. Neque
parum discedit à sententia illorum qui putant
paucorum calliditate excogitatam religionē:
nihil enim minus cogitat quām Deum esse.
velit tamen nolit quod nescire cupit subinde
sentiscet. Prorumpat licet in audaciam effræ-
nemque Numinis contemptum, trepidabit ali-
quando miserè, quū aliquod iræ diuinæ iudi-
cium se proferet: adeò ut Deum quem studet ex
professo contemnere, inuitus exhorrescat. Ve-
rūm paulò altius repetenda est historia, vt impu-
dentis mendacii conuincatur Durandus. Mar-
tii mensis initio, anni quinquagesimi sexti su-
pra millesimum quingentesimum, quæsitos &
multis precibus rogatos, post longas & dubias
nauigationes nos exceptit humanius in suo
Collignio, quām à tali bestia sperandum erat,
saltem facie tenus, nōsque littore & nauibus,
præter ingenium ad se deduxit, saluere iussos,
atque in primis Pontanum, sub cuius potesta-
te nauigaueramus. Aderat Aurigarius mecum
præfectus & ipse verbi Dei, erant & alii pii pro-
bique viri duodecim. Cui quum mentem no-
stram aperuissimus, mox in lachrymas, in-
ducta larua prorupit, cælumque aspiciens,

Gratiam, inquit, tibi habeo Pater cælestis,
 qui miserum me, & extortem, tanto dignaris
 beneficio, ut tuō lumine & verbo illustres, ad
 has heremos tuos Prophetas emittens qui
 sancte & pure, vt sanctus & purus es, nos tua
 verè cælesti doctrina pascant, modo nobis
 mentem aperias, & in corda nostra Spiritum
 tuæ sapientiæ infundas, qui nos regat & mo-
 deretur. Esto mihi testis summe Deus, quantu-
 ex animo cupiam Ecclesiæ tuæ operam præsta-
 re, ut fidè & operibus sanctis tibi placeam, per
 Christum, qui nos tibi colligit quoquò ver-
 sum nos dispergas. Nunc, inquit, implea-
 mus opere & facto (ad turmam oculos con-
 uertens) quod mente per verbum Dei conce-
 perimus, ne doctrina à moribus discrepet, ex-
 eatque in vniuersum orbem huius Ecclesiæ fa-
 ma. Ecce, nullū nobis periculum est à tyrānis,
 minus à Papatu atque à toto Antichristi sacri-
 legio. Iubeant Prophetæ quæ ad religionem
 pertineant: atque in primis vt facessant sermo-
 nes impuri, proteruiæ, friuola iuramenta, mo-
 derata nobis sint omnia in gestu & victu. At-
 que iterum in cælum intendens, Faxis, inquit,
 summe Deus, né quo's ad nos direxisti defici-
 ant sub tanto pondere, vt gloriæ tuæ intenti,
 molestias

molestias nostræ cōditionis placidè ferāt nobiscum. Annuimus omnes preicationi: addimus solum, Ut in omnibus quæramus Dei gloriam: peractisque pro absoluta prosperè nauigatione Deo gratiis, nos Durandus amplexus est cum fletu, & in cœnaculum nostrum deduxit. Postridie exactis precibus publicis, vt nobis in more positum est, ex 27. Psalmo, à nobis habita est cōcio, magno totius cœtus applausu, atque in primis Villagagnonis, qui suis frequentibus suspiriis obortisque lachrymis, intimos cordis affectus præferebat. Monuimus autem vt in diem septimum ad recipiendam Cœnam Domini se pararent: nos autem quotidie ad illum usque diem de sacro mysterio differentes audirent. Interea singulos inuisibat Durandus comiter & amicè, quos de suis manuariis artibus rogabat, iubebatque bono esse animo, neque ob penuriā deiici, animūmque despōdere. Christus (dicebat) non sua, sed nostra causa tanta percessus est: non vt gloriam suam augeret, sed vt nos à morte redimeret. Sic ego me vobis nunquam defuturu iuro & obtestor, donec rebus benè cōpositis, mea opera carere possitis. Sic multa cū gratulatione

quisque sibi sedes parat; & tuguriola componit: cœpimus piscari, retia disponere, radices quærere & contundere, viperas sectari in cibum, parare nauigia & vasa aquaria, cum Barbaris conuenire, cum quibus nulla nobis fuit vñquam rixa, (quod in primis verebatur Durandus) nihil molestū aut graue intercessit. Illi nos vicissim, sed raro, inuisebant, quibus ònia amicitiae officia præstabamus. Destinato die, ad Cœnā conuenimus. Acta cōcione, primus accessit ad sym bula Villagagno, suíque ònes ex ordine. Inter quos Hector quidam aderat, vir ut cōtentiosus, sic insipidus & planè illiteratus. Qui quū videtur in re seria nimis ludere, & totā actionē sanctam in contemptum traducere, dubitatum est inter nos num cum eo prius agendū esset, quām ad Cœnam admitteretur: Villagagnonistamē decreto & interposita fide admissus est: neque postea cessauit, inductio in suas partes Durādo, nobis molestus esse. Simulauit tamē semel atque iterū Durādus, quū nos audiret cū He cōtre differētes: E quidē hanc, inquit, controuersiam componere nequeo, in sententiam tamen Caluini inclinandum iubeo: is enim mea sentētia vñus est qui penitus à multis iam seculis sa- cra penetrauit & tractauit. Verūm aperto statī codice,

codice, diuertit aliò, cœpit nobiscū nō ex fide agere, vt facile pateret nos illi graues esse & molestos. Quod quum resciuisset Pótanus, præ se tibus nobis illū, Hectorémque cōuenit: in qua disceptatione altero tacēte hāc blasphemā hic posterior euomuit: Si aliud, inquit, non adferris quam Biblica scripta, nihil agitis. hoc enim est nihil scire: nā torquētur in variis s̄esus. Itaq; fulciēdi sum^o lógo v̄su & cōsuetudine atque doctorū scriptis. Cui quū grauiter & libèrē re spōdemus, interpellat nos Durādus, cœpítque ex eo tempore apertas in nos inimicitias exercere, nobis cōuiciari & multis modis circūscribere: quotidianis cōcionibus interdixit, ne ab operis sui diuerteret, excepto Dominico die, quo vetuit ne cōcio ultra s̄equi horā protēderetur, hac lege vt ministri in Romani pōtificis, Episcoporū & monachorū otia, luxus & abusus nō inueheret. Tādē vbi ad alterā Cœnā veniū est, Durādus, Hectoris sui impulsu ministris imperauit, capit is periculo, vt in sacro pocula lymphatum vinum porrigerent, quod haberet acceptum à Cypriano & Clemente: insuper vt populum docerent, Baptismata non solius aquæ mysterio peragenda esse, sed olei quoque infusione, & salis pabulo. Adiecit nōnulla ḥidi-

c.i.

cula de reliquiis Cœnæ. Quæ quum detrectassemus, Cyclops ille ad minas, violentiā & cōuitia diuertit, Caluinū hæreticū vocans, qui quū sua impia dogmata per Christianismū publicare nequuerat, ad se suos vanos prophetas dimisisset. Quod quum ferre non posset Pôtanus, Mêtiris (inquit) in caput tuum, in sanctum Dei Euāgeliū, in Christū ipsū denique, Syco-phanta perditissime, qui sanctū, piūmque Dei Prophetā impuris tuis blasphemis impetas & calūnieris. Cauebis autē ne iterū id tibi cōtingat. quod si commiseris, senties mea manu ultricē Dei vindictā. Ille magnanimus Durādus magis mut⁹ quāmpiscis, ferociā depositus, quia si müssitasset, instabat certū periculū. Neque ex eo tempore ausus est ferox miles, equésque pedestris, cū Pôtano cōtendere: verūm Apostolorum exemplo concessit ut Aurigarius acceptis ab eo literis cū duobus aliis, Geneuam amandaretur, qui de rebus controversis Caluinum, Ecclesiāmque Geneuensem cōsulerent. Hac arte Pontano imponit, quòd promitteret staturum se & suos Geneuēsiū responso. Nunc verò intrepidè cum laruis Pontani luctatur. Erāt tunc regi comico triginta numero comites, quorum nonnulli sacrarum Literarū desyderio, palam ab eo defecerāt, quorum primas

tenebant, Nicolaus quidam & Boissiacus: alii in eam partem satis inclinabant: alii has contentiones sūsque déque ferebāt, & turpiter cū barbaris fœminis se miscebant: quales erant, Guillelmus & Ioannes Miry, ad eas libidines Durando conniuente, vt potè qui fœdius cum subulco quodam, cui nomē erat Fornario, lasciuiret, quem in puerorum cubiculariorum numerum asciuerat. Hac certè infamia passim flagravit in Collignio. Pótano aderamus plus minus duodecim, tribus Geneuā dimissis. Sic discessum est vtrinque. ac nos quidem nostris, & si qui ex eius comitibus interesse cuperent, non cessauimus verbum Dei ministrare, & sacra publicè peragere. Tunc se planè subduxit Durandus à concionibus: neque nobis præfētibus ausus est quisquam ex parte aduersa verbum Dei tractare, esset licet in eius satelliō perfidi duo monachi, præter Hectorē, qui ausus est sophisticas quas dā prælectiones aggredi, quas statim, quum nihil haberet quod dicere, & vnicum haberet suarum nugarū vel imposturarum testem Durādum, cum uno atque altero monacho, deseruit. Furere tunc visus est Polyphem' noster, & ad ingenium redire, tamē se in publicū facile nō cōmittebat, veritus

c.ii.

Pontanū, quē nouerat animo & corpore benē cōpositū: interea sœviebat in suos seruos quos detinebat sub catēnis. Ex illis vidimus barbarū vnum subactum flammis decidentibus, quem Durādus sua manu crudeliter vrebatur, mirantibus & attonitis cæteris barbaris, qui nihil adeò barbarum & immane vnquam vidissent. Vidi musetiam nos aliquot baculi verbere eo usque contusos, donec ferè exanimes relinquenter: cōtritosque vna corporis parte, iuberet in alterā reuolui, ut ita vniuersū corpus tunderet & moleret. Suis postea sustulit diei Dominici quietem; eosque toto die ad opus cogebat: nobis autem reliquit quod à nobis impetrare nequituit. Habebat etiam in vinculis sartorem sibi prius domesticum, in quem sœviebat crudeliter, quod sacras conciones apud nos audisset: alios præterea tres, Roquanum, Dodallū & Ioan nem Crassū, quos in se cōspirasse diceret. Tādem à Pontano multis precibus impetrat, ut illinc discederemus. Ex nostris ob vetustæ cädūcæque nauis periculam, quaenquā nobis dissuadentibus, in Americam redierunt artifices manuarii, Petrus Bordoni, artis tornatoriæ: Matthæus Veneur, lignarius faber: Ioānes Du bordel, cultellarius: Andreas quidam, sartor: le Bal-

le Balleur, Parisiensis. Eos simul atque appulerunt, obrutos aquis necat, præter sartorem, quæ in numerum catenatorum seruorum detinuit, qui omnes sub mortis tempus egregiam fidei suæ confessionem ediderunt, cuius sunt apud nos exemplaria testatissima. Dicat nunc Durādus, qui de suo monachatu gloriatur, vt solet in omnib' mētiri, se de monachis suppliciū sumplisse, quorū animus facinore pollutus sanari non posse videretur, reliquos conseruasse. Mirum certe videri potest in mendaciis sic obdruisse, vt nec ullū verisimilitudinis calorē quaerat vel curet. Porrò qui in moribus & doctrina magis insanabiliter ipso ægrotet, nullus est: ille tamē medicum agit, seruos excarnificando, vitiis suis parcens. Sed hīc attēdere operæ pretium est quām ingeniosus sit in fingendis mendaciis. sic agit & loquitur, quasi nobiscum per amicitiam quicquam postularit ad fidei religionisque probandos articulos, aut nos impulerit notariorum publicorum auctoritate. Quis enim nostrum in America quenquam fuisse non videt, qui publica instrumenta, notāsque excepterit unquam? In Collignio neque emitur, neque venditur, neque feritur, neque metitur, nulla excentur cōmercia, nullus locator, cōductor

c.iii.

nullus, nullus operas præstat aut locat : illic ne chartas quidem aut pennas, quibus acta scribantur reperias. Quid putidius hoc stolidi hominis mendacio? Quorsum illic notarius, aut is qui apud acta publica solet constitui? Huius generis est vanissimum commētum de suo in patriam reditu , vt nobiscum concertaret. Scilicet hoc pietatis zelo tenetur rex Antipolaris, vt ad nostras vrsas iniussus redeat, solius religionis studio? cuius scelerato odio nō min' quam cōceptu refertū esse fœdi mores & spurci detestabilī que vita satis ostendunt . Sed si ad lucem proprius trahatur, fateatur oportet rex personatus, se theatrum, sceptrū, regios apparatus, omnes denique illos fastus quibus tragœdū egit, reliquise, quia quod ederet, miser nō habebat. Sic lupi sua latibula deserunt. Cogitabat apud se quod forex Homerica quā rana vrgebat lacum inhabitare, Mihi moris est quicquid apud principes suauissimum est, esse, panē ter pistū, dulciaria omnia, & quascūque lauitias faciunt coci. Mihi nunquā fuit in aquis vita, nullius vereor hominis cōspectum , quos inuiso die, noctu quoque ad lectum vsque cōse quor: mihi quam miserū esset procul arbstris algere, famere, sitire Americæ aquis in mediis.

Appu-

Appulit dénum. Spectaculum fuitrisle, regē
 (cuius tāto beneficio aucta fuit Gallia) in aula
 à nullis agnitu in redditu, neque à canibus ipsis.
 Fortè aderant ex culinariis, apud quos vacuus
 olim offas edisset, qui miserū salutarū : à quib⁹
 quū didicisset mutatā Regiæ faciem, sibique cū
 duris & asperis hominibus futurū esse negotiū
 quibus summa rerū esset in manu, frustraque ten-
 tasset colloquiū, transit in ædes Mōmorāliidu-
 cis & Admiraldi: vbi quū frustra lusisset operā,
 molitur hoc præclarū op⁹, in quo vtitur Hiero-
 nymi Possot benedictini matheologisubsidio,
 aliorūque sophistarū Sorbonicorū præposte-
 ra industria, à quibus mutuatur aliquot capita,
 atque ea præsertim in quibus authērū veterum
 sententiæ citantur, quas sibi cōsūit vt iustū vo-
 lumen efficiat. Excerpserūt autem, vt coniicere
 licet, ex nostris ad populū Gallicū in America
 homiliis abruptas & detortas sc̄ētias Hector
 & monachi Sophistæ, rubei capit̄ emissarii,
 sed nulla fide, tū propter profundā ignorantia
 Scripturarū sanctorū, tū propter odium illud
 quod ex sua potius malignitate, quām vlla no-
 stra culpa imbiberāt. Sed vt sit Durādus autor,
 vel si malit, Hieronym⁹ Possot ille Benedictin⁹,
 imò vero ipse Benedict⁹, & tota theologastriæ
 c.iii.

Sophisticæ schola, facilè facturū me spero, vt omnib' pacat rhapsodias illas nō minus insul-
fē cōsarcinatas esse, & pudēdis crassísque absur-
ditatib' refertas, quām impiis & sacrilegis er-
rorib' & blasphemis plenas. Ostēdam etiā Dur-
randū, qui nihil verecundæ frontis aut pudoris
habeat, dūstuli è in messē alienā ingreditur, ne-
scire quid, & de quibus dicat & loquatur, vt se-
rō intelligat præstitisse sibi sinere me in otio tot
quibus indignè me affecerat molestias deglu-
bere, & cōcoquere, ea scilicet patiētia qua nos
cælestis Magister docuit animas nostras possi-
dere, quām hasturbas mouisse. Illas enim ipsas
iam pridē, vt alia cōtumeliarū quas indignè per
pessieramus plaustra, in Dei omnipotētis sinū
reieceramus. Sed quia audet nebulo perditus
in Deum, audet in Christū, audet in sanctū Dei
Euāgeliū impurus & rabidus canis insurgere,
~~dū semper amplector~~ (quia non tanūm
Thrasybuli, sed cælestis Magistri decreto edo-
& sumus ~~un' unō genū~~) in arenā tamē invitū & to-
ties prouocatus descendo, futurūmque illi præ-
fagio quod est in veteri prouerbio, ~~Bacchus u' òros:~~
Asinus sit qui Rex esse nō potest. Neque me de-
terrebit Sorbonica colluuius quæ huic histri-
oni applaudit, & si qui sunt alii fautores & pa-
tronī

troni, quin traducam nebulae vesaniā vt me-
retur, tamet si ex eorum auspiciis animos colle-
git brutū hoc animal, vt aliena & sibi incognita
arma indueret. Nam qui Deū habet quē colat
& veneretur, is omnes vno ordine Dei inimicos
securè negliget. PRINCIPIO, vt rei cō-
trouersæ argumētū teneāt lectores, paucis per-
stringā summā eorū quæ à nobis de sacrosāctæ
Cœnæ negotio proposita sunt in America quū
nobis à presbyterio designata fuisset: postea cer-
tamē nobis erit cū rationibus Durādi & sophi-
starū à quibus has plumas (nuda cornicula) mu-
tuatus est. In quo, quātū Dominus sua liberali-
tate concesserit, ostēdemus frustrā magnos il-
los heroas vrgere quibus cum pugnet. Satis no-
bis fuerit ipsa veritas nuda & aperta sui ipsius
testis, quæ belluam illam inimicā, qualis olim
Goliath, furore suo extra carceres & limites a-
gitatam compescat, iniecto in nares circulo: sic
suos bullientes impetus facile Dei verbo do-
mabimus. Parauit enim nobis Deus sua virtute
& sapientia pharetram, arcum, & sagittas potē-
tes & acutissimas cum carbonibus ex iuniperō,
quibus perfodiamus & laceremus vniuersas
Satanæ imposturas. Verūm quantum ego di-
gnitatis & honoris semper ex Domini nostri
Iesa Christi præcepto tribuerim sacrosan-

& Coenæ, & mensæ Domini, testabuntur au-
 res piæ, quæ me de hac re plenissimè cōtra ma-
 gistratū potestatēmque Durādi differentē au-
 dierunt. Evidē illi semper tātum cōcessum iri
 volui, quantū sacramētis, nostris tesseris & ar-
 rhis, Dei Spiritus nobis insinuauit. Ex qua be-
 neficiarū omniū summa, quæ à Christianis homi-
 nibus maximè defuderari potest, ad plenā men-
 suram cōfirmatur. tanū ne nostra infidelita-
 te, aut morū ac disciplinæ neglectu resistamus.
 Quis enim panem illū verum à cælis deplutum,
 Iesum Christum, vera fide apprehenderit à Pa-
 tre cruci traditum, vt suum corpus & sangu-
 nem nobis in alimentū subministret, nōsque
 (quos à Patre seruādos acceperat) ita sibi cōiun-
 gat & vniat, vt primū sibi, postea Patri atque
 inter nos copulet, quin protinus intelligat quā
 ta sit vis & efficacia tanti sacramenti, quod i-
 pse Dei filius, æterna Patris sapiētia, verus Deus
 & homo in testamētum & pignus suis filii in-
 stituit & reliquit, quò eos ab alienis discerne-
 ret. Quam nobis moriturus testamento conse-
 cravit, & vsque adhuc consecrat verbo, volun-
 tate & virtute sancta, polliceturque nobis senō
 defuturum attestātibus Sacramentis, veluti cep-
 tis sigillis, donec ipse rursū veniat. Nos suæ Ec-
 clesiae

clesiæ inseruit, quos suo cibo & potu nutritri & cibari voluit, ut inde vitam trahamus in spē certam salutis æternæ. Quoniā autē mihi negotiū est cū homine præfracto, cōtumaci & ignauio, cui satis nō est fucū quendā in anibus verbis ostētare, & qui ne corticē quidē ipsū disciplinæ teneat, artis verò nihil: sed cui placeat frustatim quædā decerpere, de quib⁹ sine fēsu & iudicio loquatur, & effutiat quicquid venerit in buc cam: nos cōtrā methodū teneamus in lectorū gratiam, ut intelligent quām piè & religiosè de sancta Domini mensa docuerimus, & quanta cū veneratione homini Christiano de ea sit loquē dum & cogitādum, & quāta cū probatione, id est fide, poenitētia & charitate, propulsis auulsiisque omnis generis rixarum & cōtentionum fibris, ad illam ex Domini præscripto suis tabulis sancito sit accedendū. Quod olim toties nostris publicis declamationibus in America tractatum est. Sed apud hāc impuram bestiam, apud fœtidum hunc suem seminatae sunt verbi Dei margaritæ, sanctū dedimus canibus, quid mirū si illud conculceret pedibus, & canis cōuersus dirumpere nos perga? Neque enim ab initio filios Dei à porcis discernere potuimus, neque passa est charitas eos protinus habere pro

deploratis, donec certis documētis per uicacē ostēdit Dei cōtemptū, qui morbus ferē incurabilis apparet. Sic illi sūlsque similibus à nobis prædicatū est Euāgeliū, odor mortis in mortē, quod per se odor est vitæ in vitā: cuius nūc audimus rabidos latratus, & impios grūnitus. Vetus illud Israelitici populi epulū, in cuius locū Cœna Dominica successit, vt varias denomi nationes sortitū est, sic Cœna. Dicebatur autē hoc epulum transitus Domini, cuius erat memoria, signum, solennitas, festū, feriæ, conuētus, celebritas, cultus, obseruatio, ceremoniæ, & victimæ trāditionis. Sic Cœna Domini à Paulo dicitur, in qua spirituale nobis epulū paratur. Sic & eodē authore Mēsa Domini appellatur: ab eodē etiā ~~memoria~~, quòd eodē sancto pane cōmunicemus, & sic vñ corpus multi sumus. Lucas appellat fractionē panis, quòd inter se cōuiuæ panē frāgerent, more veteris nascētisque Ecclesiæ, & diuidérēt. Dicitur etiam Memoria passionis dominicæ, dicēte Domino, Hoc facite in mei memoriā. Dicitur *in apōstolā*, quoniā in ea gratiæ habentur Domino suouū in nos beneficiorū, atque in primis quòd sua nos morte redemerit. Dicitur symbolū, mysteriū, & sacramētū corporis & sanguinis Domini. Veteres vocau-

cauerunt ~~etiam~~, coagmentationē & conciliatiōnē quā Ecclesia Christo arctissimo fœdere vnitur, & nos in uicem. Dicta est præterea conuentus sanctorum, cœtus sacer & collecta. Neque enim veteres sibi licuisse putarunt, nisi in publico cœtu Ecclesiæ, Cœnā celebrari. Sic Paulus dixit, Conuenientibus vobis in unum: Corinthios non ferens quod in multis Cœnā Domini corrupissent. Conuentum tamē & cœtum qui ex præscripto Domini esset, non damnat. Quinetiam Cœna Domini testamentum est in carne manifestati Filii Dei, quod conceptis verbis dixit de poculo: Hoc poculum (inquit) nouum est testamētum in sanguine meo: id est, plenè perfecta peccatorum remissio per sanguinem meum. Varias has voces obseruent lectors. Solent enim impostores ex nominum varietate colligere argumenta quibus illudant infirmioribus, dum cogitat ex grammatica significatione res nouas configere. In eotinus est Durandus miser Grammaticus, cui datum non est vñtrā caput extollere. Est autem Cœna Domini sacramētū epuli spiritualis quo Christus mortis suæ memoriæ efficacē nobis imprimit, & in ei⁹ fructu attēnos nos reddit certa fide qua in sp̄ce æternæ vitæ erigimur & pascimur.

Cōueniens est aliorū patrū definitioni, qui actionē esse sacrā dixerūt, diuinis Ecclesiæ institutā, qua Domin⁹ pane & vino in epulū apposito suā promissionē & cōmunionē attestatur fidelis, donaq; sua repræfēt, & sēlib⁹ subiicit, visibiliter in vnū corp⁹ colligit, mortē denique suā in memoria fideliū retineri vult, & officii nostrinos monet, & maximē laudis & gratiarū actionis. Sacramētū dicim⁹ esse, quia symbolū sit externū, quo benevolētiæ erganos suæ promissiones cōsciētiis nostris Domin⁹ ob-signat, ad sustinēdā fidei nostræ imbecillitatē: & nos vicissim pietatē erga eū nostrā, tā corā eo & Angelis, quām apud homines testamur. Neque id alienum est ab Augustino, qui Sacramētū ait rei sacræ visibile signum, aut inuisibilis gratiæ visibilem formā. Quod autem dicimus Sacra mentum, Græci dixerunt μυστήριον. Signa enim quū ad res diuinas pertinent, Sacramenta vocātur. Inde nimirū colligimus, Sacramētū esse mensam Domini, quia sit appendix promissionis. Nunquam enim est sacramētū, nisi præ-eunte promissione, vt eam confirmet & ob-signet, nobisque testatiorē faciat. Sīcque Christus consultum esse voluit nostræ ignorantia, tarditati & infirmitati, vt nos in sua fide stabim̄. sic captui nostro se attemperat Deus, vt

istis terrenis nos ad se deducere nō grauetur, & proponere donorū spiritualium speculum. atque ita Domino facti ~~in mortali corpori~~, Christo capiti & mēbris cōiungimur, eiusdémque cibi & potus sumus participes, os ex ossibus eius, & caro ex carne eius facti. Nā per Baptisma accipiūt fideles sigillum fidei, quo suæ salutis firmum habēant testimonium, per adultos adhibito confessionis suæ testimonio: receptos autem in familiam suam, alendos suscipit Dominus. Quod se facturum dato pignore nos certiores reddit: atque vt id ipsum nobis certius esset, voluit institutionis suæ Cœnæ primordia per man° Filii sui nobis largiri: spirituale scilicet epulum animarum nostrarum, vbi se Christus viuificum esse panem testatur, quo animæ nostræ ad immortalitatē pascantur. Signa sūt panis & vinū, quæ inuisibile alimētū quod percipimus ex carne Christi & sanguine, repræsentat. Vnicus autē animæ nostræ cibus, Christ° est, ad quē nos in uitat cælestis Pater, vt eius cōmunicatione refecti, vigorē colligam°, donec ad immortalitatē peruenētū fuerit. Cuius imaginē in signis visibili bus exhibet, vt certi sim' animas nostras Christo pasci, nō secus ac corp° pane & vino. Id autem propriè & per se ad corpus nō pertinet. Spirit°

materialibus & corporeis epulis nō pascuntur. Spiritualem ergo cibum esse oportet quo spiritus alantur. Signa autem quanquam corpora sunt, non sunt tamen ordinata in corporum ali mentum, sed in significationem rerum spiritualium. Neque enim tantillum panis & vini alimento corporum sufficere potest. Qui querit alimentum corpori, domi manducet, & Ecclesiam Dei non contemnat, inquit Paulus: Itaque si vera fide tenemus, corpus Christi sic pro nobis fuisse immolatum, ut illa mors nobis sit vita, ac illius unici sacrificii efficaciam in nobis sentimus: & sanguinem sic pro nobis fusum, ut sit nobis perpetuus potus: nulli dubium esse debet, quin sic accepto pane & poculo ex Domini instituto, in sui memoriam, verum corpus, verum sanguinem Christi, quod semel in salutem nostram oblatum est in ligno, accipient fideles animae, dum corporea signa a Domino instituta ore percipiunt, & in stomachum demittunt, ut ea participatione mortis Christi virtutem certò statuant fideles sibi efficacem fore. Eo enim mysterio Christus fœdus illud quod sangui ne suo sanctiuit, renouat, non secus ac si rursum à toto corpore Christi manaret, & coram efflu eret sanguis adhuc spirans suum calorem, quo nos

nos Patri reconciliauit. Id nobis testatur Veritas, dum calicem vocat foedus in sanguine suo. Quum itaque hoc sacramēto fide suscepto sic vniāmū Christo, ut in vnū corpus cū ipso coalescam⁹, quomodo cū eo nobis nō cōcessit sua omnia? Cōcessit profectō nō min⁹ efficaciter quām si præsētē cōspicerem⁹, & manib⁹ nostris atrectaremus. Nō enim vana esse voluit sua signa & promissiones suas inanes & mēdaces qui bus nobis illudere voluerit. Nos nanque à rēb⁹ corporalibus, pane & vino, ad res spirituales deducimur, quibus fouemur, reficimur, cōfirmamur, exhilaramur. Neque existimemus Cœnæ præcipuas esse partes, corp⁹ Christi porrigi simpliciter, & absque altiori cogitatione, (symbola nimirū illa quæ videm⁹ & tāgimus, quæ postea dicimus metonymicē Corpus & sanguinē dici ex phrasī Scripturæ) sed magis obsignare sacramenti corporis & sanguinis promissionem, qua carnem suam verè in cibum nobis, & sanguinem in potum promittit, quibus in vitam æternam pascamur. Eò autem quòd se nostrū panem affirmat, quem qui manduauerit, viuet in æternū, propositū nobis iter est ad crucē Christi properatib⁹. Non enim Christo salutariter vescimur, nisi crucifixo, dū mortis eius

d.i.

efficaciam via fide apprehendimus. Non quae-
liter cauponatores verbi Dei, sophistæ, existi-
marunt, ut lucra captent ex missis, Christū ap-
pellari panem, quod panis esset Christus in sa-
cramēto mensæ. Rem aliter habere docuimus,
quod Durandus non intellexit, neque intelli-
gere potest pectus carneum, quod nullum esū
capere potest nisi culinarium & carneum, qua-
lis est is quo in popinis vti solet. Nos verò dici-
mus Christum panem esse vitæ, quia talis à Pa-
tre nobis dat⁹ fuerit, talēmque nobis sele præ-
stiterit, quum carnem nostram assumpsit, nōs-
que suæ immortalitatis participes fecit. Non
facit igitur Cœna vt Christus panis vitæ esse
incipiat, sed facit vt sentiamus vim & efficaciā
illius panis, cuius spiritualem gustum & sapo-
rē nobis præbet. Pollicetur enim mirabilis sua
gratia, quod quicquid fecit aut passus est, ad
nos pertineat. Nobis nat⁹, passus, mortuus: no-
bis denique resurrexit, & in dextram Patris se-
det cælitus, quia nobis panis est vitæ. Panis, in-
quam, qui caro sua est, & quem dedit pro mū-
di vita: illa ipsa est, non alia conficta, quā nos
verè, fide & spiritu (& si patientur aures purga-
tæ) realiter & ομαρτιῶς in Cœna recipimus.
Nunc cogitent ερωφαγοὶ & carnulentivi, qui
nisi

nisi membratim carnem & ossa Christi dentib⁹
 & ore profano conterant, nunquam sibi satis-
 faciunt, quomodo panem illum viuum è cælo
 deplutum, in terra germinatum, semel in hosti-
 am datum pro mundi vita, verum, inquam, cor-
 pus naturale, per omnia nostro simile (dempto
 peccato) finitum loco, & dimensionum limiti-
 bus definitum, vnu, non multiplex, tot iam se-
 culis rodunt, frāgunt & lacerant. Iam enim ex
 quo passus est Christus quot centenæ myria-
 des corporis Christi absorptæ sūr̄? quas momē-
 tis omnibus restaurari noua corporis Christi
 creatione oporteret, ut in elementis adsit & ab-
 sumatur, & tandem veniat in iudicium, non is
 qui ascendit, sed qui toties reparatus sit, post-
 quām à nostris Capernaūtis toties corroſ⁹ est.
 Neque venturus esset quemadmodum Galilæi
 viderunt. Abdixerunt enim alio carnem illam
 quā assumpserat à Virginis vtero, & quæ in cæ-
 lum recepta fuerat, magicis incātationibus &
 susurris, sacrificuli Papistæ præter Dei verbū,
 si Sophistis fides adhibeatur. Quantum esset
 corpus Christi, inquit Athanasius, ad hoc vt to-
 tus mundus ex eo ederet? Sed quod id Duran-
 dus nō percipiat, & cæteri homines impii, facit
 iusto Dei iudicio spiritus nequā, qui trāfueros

CIL. I.

d.ii.

eos agit, nequid percipiāt quod sit ex Dei Spiritu. Neque ultrā tergiuersetur Durād⁹ in mysteriis absconditis quæ non reuelantur à carne & sanguine, sed à Deiverbo & eius Spiritu, qui se humilibus & demissis manifestat, despicit & cōterit cedros Libani, quercus Basan, & naues Tharsis, id est superbis resistit, humili⁹ dat gratiā & Spiritū sanctum, eiūsque dona multipli cia largitur. Est itaq; ex Deiverbo Christicorpus spiritualis cibus animæ, quod semel dedit in morte, ut fieret perpetuus panis, quū crucē subiit: quotidie dat in participationē, quaten⁹ crucifixum est. Offert per Euangeliū, ob signat per mysterium Cœnæ, intus complet quod exterius designat. Participare corpori Christi nō solū est credere in Christum, sed vera sui participatione vivificari, & ipsius virtute in vitam spiritualem vegetari. Verūm ut non sit alia quam fidei manducatio, non tamen est in solo credendi actu. Nam credendo manducatur Christi caro, quia fide noster efficitur, est que manducatio, fructus effectusque fidei. Quod nobis Dominus ipse per Ioannem (qui pectorieius in Cœna incubuit, & secretorum eius mysteriorum cognitor fuit) satis aperuit. Rudes illos Capernaītas docens quid esset carnem

nem suam manducare : Ego, inquit, panis sum viuus qui de cælo descendit. Qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Dissidentibus autem ob id ipsum discipulis, &c., ut existimabant, duriore sermone offensis, inquit, Quid? hoc vobis est scandalus? Quid fiet quum videbitis Filiū hominis ascendentem ubi prius erat? Spiritus vivificat: caro non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Hos sermones vocavit Petrus verba vitae æternæ. Ex quibus sunt tenendæ phrases sanctæ Scripturæ, quas imperitus Durandus vniuersis suis scriptis confundit, satis esse putans, si blateret & quoquo modo loquatur aut scribat. Idem est edere Christum, & carnem eius, & sanguinem bibere. non id est credere in Christum: se enim habent per modum prioris & posterioris Non manducatur quidem Christus, nisi fide. Prius est enim Christum recipere, & fide apprehendere. Est ergo manducatio, effectus & opus fidei, quæ fidelis & spiritualis manducatio vitam adfert.

Acta Priorum
tomus vii

d.iii.

Incæteris purè carnalibus, verum est quod dicitur, Esca vētri, & ventre escis: Dominus autē illa deſtruet. Sic Capernaitas ventri addictos repreſſit Christus, quū diceret Patres manna comediffe, & mortuos eſſe: quum ex carnaliū ſenſu de manna loqueretur, non quatenus arcana fuit figura Christi. Quaratione Paulus spirituā lēcibum nominat. Sic qui nihil aliud in synaxi ſpectat quam quod oculis videtur, quod dentibus teritur, ille panem vitæ non edit. Vita enim, animæ, spiritualis eſt: eſtque à carne Christi, (quæ gulfata prius morte, iam eſt in cælo collata) fide & spiritualiter pétendavita, quoniam viuifica eſt, non per ſe, ſed ſicut æternus Dei Filius fons vitæ eſt, ita caro eius, veluti canalis, vitæ, quæ intrinſeoꝝ in Diuinitate reſideret, ad nos diſfundit. Sicque caro vitæ, quam aliundemutatur, nobis communicaſt, dum vičima illa ſemel immolata, in ſacro epulo vefcimur, aut fide ſola, aut vna cum fide ſacramento ſui corporis & ſanguinis, quæ efficacissima eſt fruitio quæ in terris haberī potest. De quo quum pertinaciter nimis & contentioſe diſputarent Iudei, extorſerunt à Christo cum iureiurando conminationem, denuntiāte æternum exitiū omnibus qui vitam à carne ſua petere recuſarent.

Interim

Interim tamen fatemur concionem illam Domini apud Ioannem, non esse de Cœna Domini, quæ nondum instituta erat, sed de perpetua communicatione quæ extra Cœnæ usum nobis constat. Verum quoniam fundamentum manducationis est fides illa vera qua sacramenti promissiones amplectimur, ea simul esse coniungenda, ut totius mysterii plenior habeatur cognitio. Adeo, nihil apud Ioannem, capite illo sexto, de fidei perpetua manducatione dici, quod nō in Cœna figuretur, ac vere praestetur fidelibus: adeoque sacram Cœnam Christus quasi huius concessionis sigillum esse voluit. Et hæc est ratio cur apud Ioannem nulla fit Cœnæ mentio. Sic Augustinus in explicacione huius concessionis, Cœnæ, inquit, non meminit, sed ea completa docet mysterium hoc in symbolo representari, quoties Ecclesiæ sacrâ Cœnam celebrant. Quum itaque discipulos Christus docuit manducationem suæ carnis in fidei perpetua manducatione, simul explicat quod in Cœna figuratur & praestatur. Est itaque hoc modo ad Cœnam hæc doctrina Christi referenda, Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt. Quam d. iiiii.

interpretatus Augustinus, inutilem pronuntiat esse carnem, si à spiritu separetur. Vnde enim, inquit, habet caro ut vivificet, nisi quia spiritualis est? Ideò quisquis in terrestri carnis natura subsistat, nihil in ea reperiet nisi mortuum: sed qui oculos attollet ad Spiritus Dei virtutem qua perfusa est caro Christi, non frustra vivificam dici ipso effectu & fidei experientia sentiet. Ea ratione intelligimus quomodo caro verè sit cibus, & tamen nihil proposit. Cibus quidem est, quia per ipsam partam nobis est vita, quia in ipsa nobis placatus est Deus: nihil autem prodest, si ex sua natura aestimetur. Neque enim vitam confert Abraham semen quod per se morti obnoxium est, sed à Spiritu accipit ut nos pascat. Quare nos quoque ut ab ea verè alamur, spirituale os fidei afferre decet. Sic est accipienda spiritualiter doctrina de fide & sacramentis: & spiritualis sermo vocatur qui nos sursum erigit, & inuitat, ut Christum, duce Spiritu & fide, non carnis sensu, in cœlesti gloria queramus. Illa enī nisi fide comprehendendi non possunt. Atque illud in primis tenendum est, naturale esse mensæ

Domi-

Domini, sicuti Baptismo, ut sit promissionis appendix. Nunquam enim sacramentum esse potest (ut suprà dictum est) nisi præeunte promissione, ut illam cōfirmet & obsignet, nobis que testatiorem faciat. Cœnæ promissiones sunt, in Christo manere, non mori in æternum, viuere propter ipsum, & his similia. Quæ per se quidem certa sunt, nullaque indigent confirmatione, nisi ea quam à se ipsa veritas accipit. Sed nostra fides, quū sit exigua, indiget ut undecunque fulciatur. Neque enim nos hoc corpore grauati, absque spiritualibus, & à corporis manu ducti ad incorporalia, Spiritum Dei percipimus, quæ in hanc significationem à Deo signata sunt. Constat itaque Cœnæ sacramentum verbo & signo externo. Verbo quod à ministris propositum, doceat quorum hæc visibilia signa, panis & vinum à Christo fuerint instituta, quid velint, quid confirmant, quot & quæ sint tam admirabiles promissiones illæ quas obsignant. Loquimur hinc de verbo vitæ, de verbo Euangeli, cuius auditu, fide nostram salutem, in pane illo vitæ & vero amplectimur. Hoc est verbum illud quod, Augustino teste, diximus accedere ad elementum, ut fiat sacramentum: non somnia-

Durandi, qui cum Sophistis putat concepta quædam consecrationis verba sine sensu & fide insuffrata, & vix extremis labris demurmurata ignota lingua, ex opere operato euellere verū illud corpus è cælo, & immissum include re in pane, sola vi & efficacia magica verborum. Sed accedit (inquit Augustinus) non quia murmuratur & profertur, sed quia creditur. Aliud enim est sonus verbi transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei quod prædicamus. Ea est conscientiæ bonæ interrogatio, quam ut consequamur, prædicatione verbi opus est, vnde nascatur & incrementum accipiat fides, quæ sacramentum præcat, sicut in omnibus signis quæ Deus sanctis Patribus obtulit, inseparabilis fuit doctrinæ copula. Verbum ergo sacramenti est promissionum Dei declaratio à ministro prædicata, quæ plebem eo manuducit quo signum tendit, & nos dirigit in Coena, ut Christum queramus fide in dextra Patris sedetem, quem summo desiderio, fame sui attriti amplectamur & edamus in cibum spiritus, qui nos alat in spem certam vitæ æternæ. Suntque panis & vinum ut sigilla quæ literis appenduntur, quæ per se quidem nihil sunt, confirmant tamen quod scriptum est.

Sic

Sic Paulus Circuncisionem vocat *peccata*, quæ
fuit prioris pacti obsignatio, cuius fide fue-
rat iam antè iustificatus. Sic panis & vinum
in Coena *peccata* esse oportet, quibus promis-
siones ad viuum velut in tabula depictæ re-
præsentantur, ad quas fidelis assurgit, & ad su-
blimia mysteria quæ in sacramento latent, at-
tollitur: neque tamen in illo carnali speculo
hæret. Atque ideo vocat Augustinus verbum
visibile quo Deus misericordiam suam omni-
bus offert, & suæ gratiæ pignorâ suo ver-
bo & sacramentis. Non dubitamus igitur
fidelium Cœnæ adesse verum Christi cor-
pus, fidei contemplatione verè & realiter: imò
non credimus Cœnam Domini esse nisi Chri-
stus adsit. Non tamen sic carnaliter & cras-
se manducatur ut Capernaitæ, & eorum si-
miles *capnophagi* existimauerunt: sed verum Chri-
sti corpus credimus in Cœna sacramentali-
ter, spiritualiter, verè & efficaciter edi à
religiosa, fideli & sancta mente. Externa
vero symbola nihil faciunt nisi (ut diximus)
animus antea huc inclinet quò symbola ten-
dunt. Quis enim, quæso, existimaret aliundè fi-
dem certamque in Deum fiduciam haberi;

quām à Spiritu sancto? Historicam quidem si-
dem præstabunt sacramenta, Christum esse na-
tum aut passum fidelibus & perfidis ex æquo:
at pro nobis esse passum, id piis & fidelibus tan-
tum, quos Spiritus intus docet agnoscere my-
steriū Diuinæ bonitatis. Is enim solus Chri-
stum recipit, quem Spiritus erudit, quem Pa-
ter traxit, ut ad Filium perueniat. Qui seipsum
probauit ut sic ut præscriptum est, de pane illo
edat, & calicem bibat: qui iam seipsum proba-
uit, ut ad Cœnam probatus accedat, fide, quam
si non habeat, quomodo illā explorabit? Adsit
itaque prius fides quām accedas. Nam qui fidē
non habet, quomodo consequetur effectum fi-
dei? Fides præcedat excitata vi Spiritus San-
cti, occulta, sed potenti, quæ animos nostros
impellit & incitat. Postea verbum Dei extrin-
secus nqs percellat: denique panis & vini
symbola, ut nobis à Christo in Cœna propo-
ni voluit, quæ sunt mirabilia Spiritus Sancti
organa, sumamus, quibus in nobis fides ex-
citatur. Sic corpore & sanguine ipsius spi-
ritualiter, sed tamen verè alimur & sustenta-
mur. Quid hoc cibi genere fidelibus magis
cōducere potest? Quid maius esse potest quām
Christū

in nobis manere, & nos vicissim in Christo? Quid hoc salutis pignore dulcius nobis esse potest? Fateor equidem me his rationibus ex verbo Dei desumptis, collegisse, & magna contentione contra Hætorē ignauū Sophistā sustinuisse (præsente quidem, sed muto & elīngue Durando) impios & fide vacuos homines, aut non legitimè probatos, Cœnā nō habere, Christum nō suscipere, sed inanestatūm & frigidas figurās panis & vini. Eos tamen grauiter peccare, quia mensam Domini conspurcant, cuius effectum sua peruersitate opprimunt & obscurant, sua infidelitate oblatum corpus Christi & sanguinem detrectant. Idem diximus de Iuda, dicēte Augustino, Buccella dominica venenum fuit Iudæ: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Neque enim illis Sacraenta sunt testimonia gratiæ Dei, sicut nec Euāgelium: sed iis duntaxat qui certa fide verbum & Sacraenta accipiunt. Ut omnibus quidem in salutem oblatus & propositus à Patre Christus est, non tamen ab omnibus exceptus: sic soli fideles vniuntur Cœnæ participatione Christo, & sibi inuicem: cum infidelibus non item, quos colligatos Saranas occupat. Quæ enim cōuentio Christi & Belial?

Idem etiam censu de illis qui præpostero Cœ
 næ vſu fruūtur, vt quibus placet dimidiata Cœ
 na, & qui absque solenni Ecclesiæ cœtu ſuā Cœ
 nam manducant, qui ruſatum panem incan-
 tationibus missariorum fufcipiunt, quaſi inclu-
 ſum ſub elementis virtute operis operati. Inte-
 rim tamen natura & institutio Cœnæ non pe-
 rit quin fidelibus præſtet & exhibeat quod fi-
 gurat Sacramentum, & Dei verbum promittit.
 Ad cuius frequentē vſum ſunt à ministris mo-
 nendi, vt tollatur ē medio prophanum illud
 concilii Lateranensis edictum, Omnis vtrius-
 que ſexus, vt ea frequentia facroſanctæ Cœ-
 næ piorum fides exerceatur & augeatur. Ea
 vero quum à nonnullis non eſſent ſatis intel-
 lecta, ſic me aperui: Fides & eius augmen-
 tum proprium quidem eſt opus Spiritus ſan-
 ti: ſed in ſancta Domini Cœna, primū nos
 Deus ſuo verbo docet & instruit, deinde ſa-
 cto epulo conſirmat, poſtremo Sācti Spiritus
 lumine mentibus noſtriſ illucet, & aditum in
 corda noſtra verbo & Sacramētiſ aperit. Non
 quod Sacramentis paniſ & vini iſiſta ſit viſ
 quædam arcaña quæ fidem promoueat, ſed
 quia ſunt à Dōmino iſtituta, ſtabiliendæ au-
 gendæ que ſidei cauſa. Quo munere fungun-
 tur, vbi

tur, vbi inter ior ille magister Spiritus accesserit, cuius virtute corda nostra penetrantur, & illis aditus in animas nostras aperitur. Virtus agendi ad Spiritum Dei pertinet, ministerium Cœnæ Sacramēto relinquitur, quod sine Spiritu nihil proficit. Et symbola nihil sunt nisi Deus inspiret, & opus suum agat quibus utitur ut mediis & instrumentis, quæ verè confirmationes fidei nostræ dicipossunt. Ut autem in mediis & instrumentis nihil fiduciæ collocandum est: sic in symbolis panis & vini nō est hærendum, nec debet Dei gloria ad hæc transserri, sed ad Christum verum & unicum suæ Cœnæ & sui instituti authorē, & quam suis manibus exhibere voluit. Arcanas autem virtutes vino & pani ut sint consecrata, affigere præter Dei verbum, temerarium est. Quid enim hoc aliud est quam se abstrahere à Deo, & pro veritate meram vanitatem amplecti? Quod dictum esse velim propter adorationes, preces, geniculationes, pectoris cōfusiones, magicos ac histrionicos gestus, quæ omnia superstitionis homines applicant suis symbolis, aliosque cerebros cultus, & curiosas adseruationes, quibus Christum ipsum sub symbolis semel incantatis, in suis carnariis locis, cibariis atque vina-

riis includūt. Hoc enim mihi tenēdū & prædicandū esse visum est, Symbola Cœnæ, extra usum & actionē nihile esse: post usum, actionēmque sacramentalem corporis & sanguinis Domini, quicquid reliquum est consecrati, & ad Sacramenti usum deputati panis & vini, redit in primos usus, ut sit communis panis, & vinum profanum, id est nō amplius consecratū, quod ad cōmunes usus applicari potest & debet sine scrupulo. Neque nos distinguimus azymum panē à fermentato: utrumque enim indifferenter Cœnæ applicari potest. Quod autē in azymis à Domino fuerit institutum sacramentū, illud conueniebat diebus illis quibus per umbras veteres azymis panibus uerentur pro vulgarī & communi pane. Quæ quum euanuerint simul cum cæteris legalibus, cōmodè uertendū esset eo pane qui nobis est vulgaris, ut tempore institutionis habebatur, ne per differentiam illius panis discreti à communi, obrepat superstitione. Quod autem diximus de consecrato pane, non est intelligendum Consecrandi verbū, magicē, cōceptis & susurratis quibusdā verbis, numeratis syllabarum & literarum momētis, quibus aliqua insit virtus quæ immutationē facit substatiæ. Nihil enim aliud significat apud veteres

veteres Theologos verbū Consecrandi, quām rem communem & profanam sacro vsui dedicare: hoc est augustam sanctāmque reddere ad totius Ecclesiæ vsum. Neque inficiabimur Durando, qui curiosus est admodum & pertinax, in motibus alterationum & qualitatū in huiusmodi consecratione, id est deputatione, inesse mutationem. Quia hæc symbola priusquam in cœtum Ecclesiæ deferrentur, & mēs Domini in vsum Cœnæ superposita essent, communia & profana erant: sed ea deputatione etenim fūl sacra & Sacramēta, quatenus illis Cœnæ actio exercetur, qua completa cessat deputatio & consecratio. Ideò in alios vſus cōmunes transferri debent: tunc enim desinit eucharisticus panis esse. In substantia autem nulla fit mutatio. Est enim idem substantiā panis, idem vinum, post consecrationem & destinationem, qui prius erat. Nam veteres omnes cū Augustino consentiunt, Cœnam re cælesti & terrena constare. Terrena sunt elementa & sym bula, quæ si naturam terrestrem exuerent, amplius Sacra menta non esset. Deprauato postea ritu Ecclesiæ, aliter monachi asini rudes & imperiti, quibus astipulatur Durandus, consecrationem interpretati sunt. In qua re Cyprianus
c.i.

duriusculè loquutus esset, quum panem mutari voluerit per consecrationem non effigie, sed natura, nisi posteà apertius ad Cæciliū scribens, suam mentem aperuisset, quum dicit à consecratione vini demonstrari sanguinem Domini. Est ergò mutatio ex natura Sacramenti, non mutatio naturæ simpliciter, sed sacramentalis, vt sanguis & corpus Christi fiant, id est sacramenta corporis & sanguinis Christi, quod antiquè non erant. Neque ignoramus superstitiones homines terrenis elementis suprà quam decebat addictos, vt scribit Hesychius in Leuiticum, reliquias combussisse ne sanctus panis in usus communes rediret. Sed interim pereunt quæ relicta sunt fragmen ta, quæ Dominus voluit post factum miraculum colligi. Paulò rectius constitutum fuit à Clemēte Romano pontifice, ut reliquiæ huius sacramenti comederetur à clericis, nisi quod cōtra Apostolorū doctrinā, cibos clericorū distinguit ab aliis. Quid autem factū sit de reliquiis vini, tacet omnes, quas existimo absque superstitione ab ebriosis presbyteris papisticis epotas. Sic enim ventri suas leges accommodant: quod in legibus monasticis videre licet. Nā quū ex variis Monachorū sectis diuersæ sint ciborū leges constitutæ,

(alii)

(alii enim quibusdam diebus à carne, alii semper abstinent, alii à lacticiniis & butyro, alii ab ovis & piscibus:) nihil tamen huiusmodi factū est in vino. Nulla usquam instituta videas quæ suos mystas abstemios reddat, aut vitæ Ioannis Baptiste rationem sint sectati, solis quondam Rechabitis exceptis, de quibus meminit Ieremias. Pleraque alia inuexit corruptela temporum, & ignorāntia Episcoporum, & Monachorum audacia, quibus discessum est à vera & germana institutione Christi: ut Eucharistiam dire pueris infatibus, vel priuatas Cœnas pergere, ac si cōmuniſſet fastidio. Quod verò Cylops noster ad excitandū nouum tumultum, Cypriani nomine abutitur, facit pro solita sua fatuitate. Néque enim sanctus ille doctor ex professō contendit aquam esse miscendam viñō: sed delirōs quosdam & præpostere sobrios oppugnat, qui aquam substituent in locum vini, iactabant in spirituali mysterio abstinentium esse à deliciis. Reclamat Cyprianus nefas esse discipulis sapere supra magistrum, ideoque Christi exemplo viñū esse propinādū. Quia autē Miserere verbū pro Fūdere usurpat, (quod docti nō rūt esse ex Lingue Latinæ ysu) barbarus hic noster verbum arripiēs non intellexit.

e.ii.

lectum, proram & puppim suæ causæ illuc ponit. At qui pridem admonitus fuit erroris. Sed quid apud stipitem proficias? Adductum est ei Vergilii carmē, Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis. Pergit nihilominus in sua fatuitate. Ego quidem fateor Cyprianum hoc dare consuetudini, ut aqua vino miscetur: sed hoc quasi ~~ad popos~~ est. Neque etiam in fictione mysterium imaginari, quia è latere Christi fluxerint aqua & sanguis, & Christus cù suo corpore vniatur. Pia quidem argutia, sed diluta, ut quæ institutum Domini violare non debet. In aqua, inquit, populus intelligitur, in vino sanguis Christi ostenditur. Quādo autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei copulatur. Bellè quæsum dictū; sed temerarius fuit primus inuentor, cui religio non fuit Christo fieri prudentiorem, & plura comminisci mysteria, quam ab ipso accepimus. Nimium itaque consuetudini male receptæ detulit Cyprianus (parcat mihi tanti viri authoritas,) neque de alieno quicquam addi verbis Domini & instituto pati debuit. Sacrū os Domini dixit, Non bibam post hac ex hoc fructu vitis. En vinum purum, non dilutū aut lymphatum. Quid nobis suas omnia & allegorias

rias confinget mortalishomo? Quisquis ergo primus hoc affectauit, in sacro & inuiolabili Dei instituto ludere non debuit, ne monstris deterioribus viam sterneret. Cuius reinos periculum fecimus. Durandus enim quum audisset à Monachis, istud ex Cypriano (quem nō legerat) dictum, cœpit ex uno transire ad aliud, & petere ex communi vsu confirmationem illius nephanda & modis omnibus horrenda, pisticæ Missæ, nobis in speciem negotiū faciens, quod aquam non misceremus in Cœna. Hinc tumultus & turbæ, quæ nos nō mediocriter exagitarūt. Qui si Cyprianū legisset, Deus bone! quas nobis ille contentiones excitasset? Quod classicum cecinisset ante triumphum? Sed velim epistolam tertiam libri decimi eiusdem Cypriani legat, si vacat à sua militia, in qua se prædicat tantoperè occupatum. In Cœna, inquit, non est recedendum ab his quæ Dominus fecit, & suos Apostolos docuit. Quia liter docet, perturbat & inuertit Euangelium Christi: & vobis anathema sit, etiā Angelo docente. Neque enim Angelus, neque Apostolus aliter docere potest præter quam quod Christus docuit, & Apostoli annuntiarūt. Nō potest aqua in sanguine misceri, nisi cōtra Euāgelicā & Apo-

c.iii.

stolicam disciplinā. Sic satis, dum recātat quod prius docuerat, pro nobis facit idē Cyprianus. Dicimus igitur & confirmamus, in mensa Domini aliquid immutare quod ad substātiā rei pertineat, potius esse impietatem quām stultitiam aut temeritatem. Neque potest Durand' (vt sit pro pānoso Iro Rex splendid') perficitissimam Coenæ formulam à Christo traditam ab Apostolis confirmatā inuertere, nisi se Filio Dei prætulerit, & æternæ Dei Sapientiæ. Retulit Moses omnes ritus ad exēplar quod Dominus ei ostēderat in monte: neque licuit quicquam immutasse in illis quæ in Christo complementum expe&tabant, cuius præsentia reb' externis finis imponeretur. Durādus perfrictæ frontis nebulo in sancta Christi sacramenta id audebit? Celebrauit Pascha rex Ezechias, celebrauit Iosias, pii Reges, sed nō alio ritu quām tradito à Mose. Homicidæ dicti fuit in Lege, si qui non præscripto ritu & loco sacrificassent. Fulmine feriūtur Nadab & Abihu, quòd alienū ignem intulissent in tabernaculū. Perit Osa præter officiū tractans Dei arcā. Sed quid longius exempla petimus? Corinthiis is fuit in Coena abusus, quòd sacro & spirituali epulo prophana symposia permiscerent, idque cum pauperum contumelia, quem Chrysosto-

m^o prodiisse dicit *et tu, ayeris*, quod soleret di-
uites domo afferre vnde promiscuè cum pau-
perib^o epularetur: postea excussis pauperib^o, so-
li suis epulis se ingurgitare cœperunt. Huc abu-
sum testatur Paulus vindicta Dei non caruisse.
Nā pcussit Deus hos cōtēptores grauimorbo,
quo perierunt multi: multi, dū scribebat, adhuc
ægrotabant. Sic certò expēctemus Dei vindictā
in impios verbi Dei & mēsæ ipsi^o corruptores.
Neque alium modū docet Paulus corrigēdo-
rū abusuū qui tunc obrepserat in Cœna Do-
mini imposturis & artibus Satanæ iam ab i-
pso institutionis initio, quām si ad veram, nudā
& simplicem institutionis regulam reuocemur.
Est enim institutio Christi vera regula, à qua
si vel pauxillum deflectas, iam non es in via, ne
que rectam regulā tenes. Sic Dominus, quum
de cōiugio apud Scribas ageret, qui ex cōsuetu-
dine repudia stabiliret, idque ex Mosis permis-
sione, ad institutionē eos reducit, Ab initio, sicut,
nō ita fuit: tollēdos innuens abusus qui præter
institutum obuenerat. Quicquid igitur agant,
vt cūque tueri velint Papistæ velamēto cōsue-
tudinis antiquæ suas corruptelas, quib^o Cœnā
Domini polluerunt, nihil tamē pficiunt. Nos vno
verbo dicim^o cū Christo, Ab initio nō ita fuit.

e.iii.

Quo argumento nobis est institutio Domini certa lex & indubitata regula, murusque aeneus quo nos sub Dei virtute cotineamus, a legatis & valere iussis omnibus impietatum mortis quibus Papistæ Cœnam Domini conspurcarunt. Sed tamen animaduertendum quædam esse in Cœna, quæ ad eius substantiam propriæ non pertinet. Ad quæ non respexit Dominus, quū iuberet faciendū quod ficeret. Sed ad vim substantiamque Sacramenti respexit, quū diceret, Facite, edite, bibite, annūtiate morte, habete Christi mortis memoriā. Hæc quis inuertere, & cōsiliū Domini ausu temerario dissipare studebit? Prioris autē generis sunt illa quæ dimicimus ad rem ipsam non pertinere, veluti si stantes aut sedentes panem acceperimus & calicē: si cuilibet fractus panis ministretur, aut si frangat inter se conuiuæ: si calix manu ministri capiatur an diaconorum, an conuiuæ ipsi sibi paratum calicem in mensa per se acceperint: si propinetur vinum album aut rubrum, nouum aut vetus. In illis non est laborandum: fruatur quilibet pro suæ Ecclesiæ cōsuetudine suo arbitratu, dummodò ritè atque etiā reuerenter omnia geratur. Cætera quæ ad institutionis finem & substantiam Cœnæ pertinent, mordicus teneamus,

mus, neque vel latum quidē ynguem à sancto Domini decreto discedamus. Ne ctamus stri-
cto vinculo quod nūquam dissolui queat, pro-
missionē corporis & sanguinis Christi cū hoc
mandato cui annexa est, Accipite, edite, bibi-
te. Quæ quum Christus coniunxerit, quis ho-
minum hæc separare temerario ausu tentabit?
Est enī promissio, veluti cōditio adiecta māda-
to. Si sic ad hæc Sacra menta accesserimus, in-
struēti fide, & ordinē & ritum seruēmus à Do-
mino præscriptū: sic certe participes erim⁹ pro
missionis corporis & sanguinis Christi. Atquæ
hoc in primis est notandum, in Cœna non da-
ri simpliciter corpus Christi, sed corp⁹ in cibū,
vt illum obtineamus, & sic illius bona partici-
pemus. Obtinemus autem non solum quū pro
nobis esse factū victimam credimus, sed dū in
nobis habitat, dū est vnū nobiscum, dū eius su-
mus mēbra ex eius carne, dū in vnā vitā & sub-
statiā cū ipso coalescimus. Nā in Cœna non
tanū nobis offert beneficium suæ mortis &
resurrectionis, sed corpus ipsum in quo passus
est & surrexit. Ergò verè in Cœna nobis da-
tur ipsū corpus Christi, vt sit animis nostris in
cibum salutarem. Id autem est substantia cor-
poris Christi pasci animas nostras, vt verè vnū

efficiamur cum eo . hoc idem etiam est vim vi-
uificā ex Christi carne in nos per Spiritum dif-
fundī, quanuis à nobis longē distet, nec misce-
atur nobiscum. Sed quomodo corpus Christi,
quod est in cælo, nobis detur, q̄ in terra sumus
quomodo substantia corporis Christi animæ
nostræ pascantur, & res dissitæ simul vniuantur:
quomodo cōmunicatio corporis Christi, nec
localem præsentiam, nec Christi ad nos descē-
sum, nec infinitam extensionē flagitet, anima-
les, palparii, carni, Capernaitæ, vētres sagina-
ti (qualis est Durandus, qui in popinis & culi-
nis semper intentum animum habet) nec intel-
ligunt, nec intelligere possunt. Fingit sibi Du-
rādus canales, influxus, & defluvia, traductio-
nes, traducem carnē, & traduces spiritus cum
Manichæis, Osiādro & Serueto, nostris tempo-
ris hæreticis, quibus Spiritus Dei carnē Chri-
sti ad nos deferat, & nobiscū misceat: disputat
postea an mittatur ad nos caro Christi, vt mit-
titur Spiritus Dei. Mirum est quòd non memi-
nerit scalæ Iacob, vt per suos gradus carnem
Christi detrahatur è cælis. Rodit impurus ca-
nis tam seria nostræ fidei mysteria, cui iam
respondimus, atque iterum dicimus, Cœ-
nam Domini cælestem esse actionem, quæ
cum

cum suis crapulis non conferatur. Atque ita nihil absurdum est piis mentibus, Christum in cælo manentem, à nobis in terra recipi. Communicat enim se nobis arcana Spiritus Sancti virtute, qui res diffitas non modò aggregare, sed etiam coadunare in vnum potest. Hic cedat fastuosus superbisque Durandi animus, adferat spiritum mansuetudinis, docilitatis & timoris. Postulet à Deo sapientiam, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide. Hic enim fides succurrat oportet, vbi omnes animi & corporis sensus & defunctiones deficiunt. Panem quidem vides, nihil præterea: sed audis ex verbo Dei tesseram esse corporis Christi. An præstigiatorem existimas, Durande, Christum Dominum, qui inanibus symbolis & signis frustra nobis illuserit? quique corpus & sanguinem suum (quæ nobis fide percipientibus sancta sua mysteria, promiserit) aut præstare nō posset, aut nolit? Nos verò contrà non dubitamus impleri à Domino, quod verbis conceptis toties testatus est, & facturū se recepit, & præstari quod verba sonat. Corpus enim quod nō

cernis, spirituale est alimentum. Abige si sapis
crassas tuas imaginationes Durande, quæ te in
pane retingent: redi ad mentem. Noli cum Deo
contenderē per uicaciter. Relinque Christo ve-
ram quam assumpsit carnis naturam, neque il-
lam vltro citrōque distrahas cum tuis figmen-
tis, nec eam pro tuo sensu carnali hic atque il-
lic adores. Sine vt in cælesti gloria maneat, &
illuc aspira vt inde se tibi communicet. Illic fi-
lium Dei habentem vitam in semetipso repe-
ries: illic particeps eris illius carnis & sanguini-
nis, & viues propter ipsum. Disce cum timore
& reuerenter sacra Dei colloquia tractare, &
Sacramentorum sermones, non humano mo-
re, aut ex tuo captu definire, vt agnoscas in Sa-
cramento Cœnæ Diuinitatē humanis infirmitati-
bus non subdi, & humanitatem nō sic dei-
ficare, vt relictis naturæ suæ terminis, destrua-
tur. Id fiet spirituali prudentia, non aliundè
quām ex sacris Literis comparata. Imposturæ
transubstantiationis, opponenda sunt clara
testimonia Scripturæ sanctæ, in quibus, in i-
psa etiam distributione panis vocatur: deinde
in Sacramentorum natura. Nam si non est pa-
nis, sed mutatus est in corpus Christi, nul-
lum si-

lum signum adest. Si nullum signum ergo nullam res signata. Nulla enim est analogia & relatio inter ea quæ non sunt, & ea quæ sunt. Si falsa & delusoria est panis species, res signata tamen erit imaginatio & impostura. Hoc autem nobis maneat firmum, materiam & substatiāam cœnæ Dominicæ corpus esse & sanguine Christi, immò totū ipsum Christū, in quo suā habet similitudinem, nec quicquā extra ipsum promittit. Nec Sacramentum dicendum est causa nostræ salutis & iustitiae, quæ pendet à solo Christo & gratuito suo dono. Atque ita tollendum est à piis mentibus hoc blasphemū Papistarē dogma, Sacramentū Cœnæ Domini (quia Sacramētum nouæ Legis est) iustificare & conferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis. Nam si hoc verum est, absque fide iustum esse & viuere liceret: & profuisse olim Circūcisio literæ & manu facta, & nobis extera Sacraenta sine fide. Neque nos morantur Sophistæ, quicquid garriant cū suo opere operato, opus Satanæ in ruinam Sacramentorum conflatum. Sed hoc prætextu docent suos ad impiam & blasphemam mensam accedere sine fide, velut porci & sues spurcæ, ad sua stercorea. Hinc nata est illa supersticio ut in spectat.

culo rei corporeæ, potius quām in Deo acqüi-
 escant: promissio[n]es nihil curant, in quib[us] to-
 tos intrent esse oportebat, quæ non minus in-
 credul[is] minantur, quām fidelibus gratiam of-
 ferunt. Quæ ergo stoliditas, imò vero impietas
 est, plus à Cœna Domini expectare; quām
 quod verbo Dei offertur, & fide percipitur?
 Non est igitur in Cœna quicquā configendū
 extra Dei verbū, quod non docet ex Sacra-
 menti participatione propriè pendere salutis
 fiduciam, aut iustificationem illic sitam esse,
 quæ in vno Christo, vt prædiximus, sunt repo-
 sita. Sunt enim Sacra[m]enta duntaxat fidei ad-
 minicula, & ea quidem fateor eiusmodi, vt
 qui illa contemnit, vel indignè illis vtitur, iudi-
 cium sibi accersat: sed tamen salutem nostram
 non operantur, sed is vnu[s] qui per illa visibilia
 signa testatur quæ ipse verè & propriè intus
 & in nobis sua vnius virtute efficit. Christus
 igitur, in quo vno viuimus & seruamur, mediā-
 te Euangelii prædicatione, & sacramentorum
 participatione nobis cōmunicatur: sicut mul-
 tis locis testatus est Augustinus, inuisibilem sa-
 ctificationem sine visibili signo esse posse: & vi-
 sibile rursus signum sine vera sanctificatione! Et
 alibi in solis electis efficeret Sacra[m]enta quod
 figu-

figurant. Sacra menta esse omnibus communia, nō tamen cōmunem esse gratiam, quæ virtus est Sacramentorum. Visibilem cibum accipere multos, sed aliud esse Sacramentum, aliud virtutem Sacramenti. Sacramentū vnitatis corporis & sanguinis Christi quibusdam esse ad vitā, quibusdam ad exitiū: rē verò Sacramēti omnib⁹ esse ad vitā, ad exitiū nēmini. Sic carnaliter Cœnam accipis, spiritualis in se esse non desinit, sed tibi nō est. Literā sequi, & signa pro rebus accipere, seruīlis infirmitatis est: & īutiliter signa īterpretari, malē vagātis errōris. Hæc pauca ex Augustino, qui mihi instar omniū esse solet, de prōpsisse sufficiat, ne nostra, quā breuē esse cupimus, ī immensum protrahatur responsio. Dicimus ergo Spiritū Dei esse qui māducātibus in Cœna gratiā secum adfert, qui dat Cœnæ in nobis locū, qui efficit ut fructificet. Et interior Spiritus gratia distincta est ab extero ministerio. Præstat Domin⁹ quod signis promittit, & nihil decedit operationie ius propter signa: nō esse propere dicimus inclusā iūstificationis causā in elemētis, sicut tories dictū est ab Augustino, sine sāctificatione inuisibilis gratiæ visibilia Sacramēta nō proficere. Crede inquit, & mā ducasti: quod, vt suis fabulis seruīat, perperā sūt interpretati Papistæ. Neq; enim

aliud voluit Augustinus quām, Si accedas ad Coenam, nisi ad sit fides, non manducas Christi corpus, quod sub symbolis fide manducatur: Nihil enim est ore symbola manducare, nisi rem Sacramenti māduces corde & fide. Quid-dam est igitur amplius, in Cœna Christū.am-ple & quām in Euāglio. Vtrinque verbū est, hīc mysterium à Deo institutū; vbi est plenior Christi māducatio quām sit in solo verbo, quā uis & in Cœna & in verbo, non solius Spiritus fit māducatio, sed etiam corporis & sanguinis Christi. Nam nō essent alioqui caro & sanguis cibūs & potus, neque in carne Christi esset vita: quæ res magis sunt admirādæ, quām sensu per-cipiendæ. Mirabile est fateor, & supra hominis captum, Christum nobiscum verè coalescere, Christum nos reficere carnis suæ esu, & sanguini-
nisi sui potu. Quomodo (inquiūt Iudæi) potest hic carnē suam dare ad māducandū? Discipu-los abeūtes reuocat Christus simili miraculo, quod hominis captum supereret. Quis enim cre-dat facile ēternū Dei Filium in carne mani-
festatum inī Massam carnis veram, nostræ per omnia similem (si cōditionem peccati exper-tem spēctes) in cælum assensuram? Hæc tamen vera sunt. Nam ipse dixit: Sp̄iritus Dei pronū-

tinat in corpore meo, et in membris meis trahit:

tiauit : illic acquiescendum est , neque vterius
 progredi fas est . Neque id quisquam clarius,
 magisque dilucidè explicauit , quam ille ipse
 Caluinus , cuius verba hîc ascribi non pigeat .
 Christus , inquit , ab initio Verbum Patris viui-
 ficum fuit , fons vitæ & origo , vnde omnia ut
 viuerent acceperunt . Instillauit enim vim vita-
 lem & spiritualem in omnia viuentia : sed tunc
 manifestata fuit vita , quū assumpta nostra car-
 ne Filius Dei se visendū oculis , & manibus pal-
 pādū præbuit . Nam et si virtutem prius suam
 in creaturas diffundebat , tamen quia homo per
 peccatum alienatus erat , perditavitæ cōmuni-
 ne , & cerneret omni ex parte sibi imminere mor-
 tem , oportuit in Verbi cōmunionem recipi , ut
 spem haberet immortalitatis . Nam ubi fons il-
 le vitæ , in carne nostra habitare cœpit , iam nō
 procul à nobis est , sed corām se participandum
 exhibet , & suam carnē viuificam nobis reddit ,
 vt eius participatione ad immortalitatem pa-
 scamur . Ego , inquit , sum panis vitæ qui de cæ-
 lo descēdi . Panis quem ego dabo , caro mea est ,
 quam ego dabo pro mundi vita . Non solum est
 vita , vt Sermo Dei æternus qui è cælo descen-
 dit , sed vim istam in suam carnem diffudit , vt
 inde ad nos vitæ communicatio permanaret .

f. i.

Sic ipsius caro verè est cibus, & ipsius sanguis
 verè est potus, quibus alimentis fideles in vitā
 æternam educantur. Sic nos vitam in propria
 carne reperimus. Verum est Christi carnem nō
 habere à seipsa vt nos viuificet, quia prima sui
 conditione mortalis fuit, & nunc etiam per se
 non viuit: dicitur tamen viuifica, quæ vitæ plen-
 itudine perfusa est, & in sua humanitate vitæ
 plenitudinem habuit, vt quisquis carnis suæ &
 sanguini cōmunicarit, vitæ participatione si-
 mul fruatur. Estque caro Christi veluti fons;
 & diuinitas scaturigo. Sicque caro Christi, vi-
 tam à diuinitate scatuerentem in nos transfun-
 dit: atque ita communicatio carnis & sanguini-
 sis Christi nobis necessaria est. Sic Paulus Ec-
 clesiā corpus Christi & eius complementū vo-
 cat, cuius caput Christus est: & sic toto spiritu
 & corpore nobis adhæret, & in arctissimā soci
 etatē eius carni copulamur, & sumus membra
 corporis eiusdē, os ex ossibus eius & carne eius.
 Et exclamatio finit: Magnū est arcanū dico,
 in Christo & Ecclesia. Non aliter itaque ani-
 mæ nostræ carne & sanguine Christi pascun-
 tur, quam nostra corpora pane & vino: quod fie-
 ri nequit, nisi Christus nobiscum verè coale-
 scat, nōque reficiat carnis suæ esu & sanguinis
 potu. Incredibile quibusdam videtur in tanta

locorum distantia penetrare ad nos Christi car-
nem, ut nobis sit in cibum. Sed meminerimus quā-
tum supra nostros sensus emineat Dei virtus.
Quod ergo mens nostra non comprehendit, cō-
cipit fides, Spiritum verēvnire quæ locis sunt di-
stincta. Illa autē communicationē corporis &
sanguinis sui in Cœna testatur & obsignat, nō i-
nani & vacuo signo : nā illuc certò implet quod
promisit. Sed quāquā id omnib⁹ offerat, à solis
tamē fidelib⁹ percipitur. Propterea dixit Pau-
lus, Panē quē frāgimus esse cōmunionē corpo-
ris Christi : alioqui fallax esset Deus, qui inane
symbolū proponeret. Itaque proposita panis
fractione, Dominus corporis sui participatio-
nē verē repräsentat, & verē præstat & exhibet.
Est ergo tenēda hæc regula, ut quoties videm⁹
symbola à Deo instituta, illuc rei signatæ veri-
tatē adesse certò cogitemus. Nā certū est signū
visibile nobis dari, ad obsignādā rei inuisibilis
donationē. Accepto itaque symbolo, corpus
ipsum nobis darivatum est. Cauendum autem
est ne quum dicimus Christum fide percipi in
Cœna, putemus sola intelligentia aut ima-
ginatione percipi. Nam Christum offerunt
promissiones, ut vera eius communicatione
fruamur. Nam quomodo in cruce Christi
accidit, ut in Cœna, ut in aliis locis, ut in aliis
temporibus?

redemptionē & iustitiam haberemus, nisi freti
vera eius communionē? Non enim ad nos bo-
na illa peruenirent nisi se prius nostrum Chri-
stus ficeret. Hæc & alia plurima fateor me di-
dicisse ex fidei verbi Dei interprete Caluino.
Quæ si pro sua dignitate impius blatero Duran-
dus ponderaret, & mirabundus taceret, & im-
plorato Numinis fauore disceret, quæ nobis
illius ministerio offeruntur & docētur, salutis
nostræ abditissima arcana: nō autem cum cras-
sa illarum rerum ignoratione, quas tractare cu-
pit, in optimū virum sine sensu & iudicio, vt
proterius canis petulanter inueheretur, ma-
gno suo dedecore, nec suas nænias tā latè spar-
sisset: quibus nihil aliud cōsequutus est, nisi vt
qualis est ab omnibus habeatur. Monendi sunt
itaque omnes vt à tam præfracto homine absti-
neant, qui deinceps non stylo, sed magistratus
gladio coercēdus est, nisi ultra Sarmatas & In-
dos placeret ablegare. Præterea corpus Christi
& quū adhuc mortale esset, & post suscep-
tua gloriā diximus fuisse efféque finitū, pro perpe-
tua humani corporis ratione, cælōque nūc con-
tineri, vbi semel exceptus est, donec Iudex ad-
ueniat Christus: quod sub hæc corruptibilia
elementa trahere, aut vbiique præsentē imagi-
nari nefas est. Neque memoratur modus cir-

cunscriptius aut corporalis. Corpus enim sine modo corporali esse non potest, quicquid garnit Sophistæ, ut faciant illud suis præstigiis latere sub panis & vini speciebus: cuius nullum habent è Scripturis testimonium. Sed vt fallat verbum Dei, quod sibi sentiunt opponi, impiam illam metamorphosin somniarunt, & suspen- sa reliquerunt accidentia, fatenturque nostros sensus falli, quicquid videant oculi, gustet lingua. Estque illis forma & figura panis larua & velamentum, quod corporis conspectum, ossibus, carne & neruis compactum, quod viderunt, palparunt & tenuerunt resurrectionis testes, auferat oculis. O impudens præstigiatorum hominum mendacium, qui quum habeant contrarium Dei iudicium, querunt rationes quibus cum Deo ludant! (Ingressum scilicet Domini ianuis clausis ad discipulos, exiisse de sepulchro clauso præter naturam corporis & penetrationem dimensionum, & disparuisse proficiscentibus in Emaus: sic præter naturam corporis pluribus locis adesse suum corpus): & his præclarè se suum stuporem & inscitiam texisse putant. Neque evidenter, ut aqua Baptisma-ris post consecrationem aqua remanet, sic pa- nem post consecrationem panem esse. Si autem

f. iii.

nos in Baptismo aqua falleret, nobis certū non esset ablutionis nostræ pignus. Sic perit Cœnæ veritas, nisi manens verus panis verum Christi corpus repræsentet. Mirandū est homines dici Christianos, qui putat corpus Christi ore corporeo inventrem transmitti. Verū n cogitent quid respondeant: Corpus illud quod prima Cœna dedit Dominus suis, nō aliud erat quam verum illud corpus quod aderat in mēsa, nempe mortale, & statim moriturum, nobis autem est immortale & gloriosum: sed æquè latebat in prima Cœna sub speciebus atque nunc. Sunt ergo hoc respectu pares conditiones corporis mortalis & abiecti, quales gloriosi & immortaliſ. Aut oportet multiplex fuisse corpus Christi se viuo apud se mortale, aut in Cœna gloriosum & immortale. quod quis ferat? Præterea si corpus latebat sub pane, & sanguis sub vino, oportet exangue esse corpus, nisi ad concomitantiam recurrent: quæ si vera est, in pane sanguinem esse oportet, & in sanguine corpus. Quas imposturas & impiam barbarorum hominum battologiam, vt panis sit sanguis, & vinum corpus, Christianæ aures nō ferūt. Verius ergo est quod dicimus, nempe oculis animi in cælum nos euchi, & illic quærere Christum in gloria,

gloria, sicut eō nos invitauit symbola. Nam sub panis symbolo pascimur distincte ipsius corpore, sub vino bibimus distincte sanguinem, ut demū eo toto fruamur. Sic dixit Augustinus, Christum in illa prima mēsa se quodammodo suis manibus tulisse, erigens nos à symbolis in cælum. Nunc ad ingressum ad discipulos, & egressum è sepulchro, & quod euauerit ab oculis eorum qui peregrinari in Emaus fuerant profecti, uno verbo respōdemus. Sicut aqua lacus solidam petræ naturam induit, Christum euntem dum sustinet, ita ad eius occursum resurgentem cessit durities petræ, aut eius imperio sublatus est lapis, qui postea in suum locum rediit. Ianuis clausis sibi aditum fecit diuina virtus, ut ostia paterent, sicut patuerunt Petro in carcere, & sine artificio catenæ ceciderunt. Euntibus in Emaus sui conspectum abstulit, ut illis qui ei parabant præcipitum. Non factus est præstigiator, aut incantator: sed tenuit oculos illorum ne viderent. Hic de immensa Dei potentia non dubitamus: constituit media, præest illis, & sine illis omnia moderari potest. Quæstio est, non Dei potestatis, sed voluntatis. Placuit autem Christum fratribus similem fieri, dempto peccato.

f. ivi.

Qualis est ergo nostra caro, talis & illius, certæ dimensionis, quæ loco continetur, quæ tangitur, quæ videtur. Quid fatue Durande postulas contra Deiverbum, ut tibi imaginario regiomnium miserrimo, Christus sit histrio, quod cupiebat Herodes, & vis faciat præter naturam, ut eadem sua caro diuersa loca occupet, ut nullo loco continetur, ut modo, specie & dimensionibus careat? An non postulabis insuper ut tibi aquas Americæ conuertat in vinum? Quid nū? Quum illic vino careas, quod tuo palatoplurimum conueniret? Id quidem, si hominum iudicia species, minoris est existimationis; nec exemplo caret. Fatuus autem est Durandus, qui pessimè omnium post tot insanos scriptores, postulat à Dei potentia, ut carnem faciat simul esse, & non esse, panem & vinum absque corruptione esse desicre, retentis substantialibus suis qualitatibus: perinde ac si instet, ut lucem simul lucem faciat esse ac tenebras. Id quū exigat sine verbo, quid aliud agit quam Dei ordinationem postulat inuerti? Idem autem est natura, corpus Christi mortale, quod assumptum in gloria, incorruptionem quidem accepit, sed veritatem non abstulit. Sic enim loquitur Augustinus. Quum itaque finitus fuerit

fuerit mortale, ex quo resurrexit finitum esse oportuit. Immortalitatem inquit Augustinus, carnis suæ dedit Christus, naturam non abstulit. Istam consecrationem facentur omnes pii scriptores, Est alibi ergo non est hic. Hanc probarunt ut necessariam Angeli Dei, eoque vero Durandus mendacii conuictus Christus prædictum nisi absiret, Spiritum non venturum. Aduentus ergo Spiritus, & absentia Christi ab hoc mundo, sunt antitheta. Abest quidem corpore, adest prouidentia & maiestate, quod argumentum quum multa acutissime tractarent, ad alia transerat. Tantum monendum cupio Durandum, meminerit hubem Dominum Christum in cælum ascendentem suscepisse, ubi continetur tantisper dum vedeat. Illum igitur amplius in terris nos querat secundum carnem, aut Spiritum Dei mendacii arguat. Infinitum corpus facere ut pluribus locis simul adsit, & ubiquitatem prodigiosam facere, est resurrectionem apertis verbis negare, quæ non possit consistere, nisi constitutis naturæ libus spatiis & dimensionibus in quibus corpus naturale consistat. Non sinamus nos decipi imposturis Sophistarum, quibus soluedis Durandus esse non potest, quum vix prima-

90 ADVERSVS VIELAGAGN.
fidei Christianæ elementa intelligat. Gloriatur quantum velit; se in armis versatum, sed fateatur a summo se ad liram, dum Theologica tractat. Audit Possotum cucullatum Sophistam, cum sua schola sic differentem. Totus (inquit) Christus ubique est, non tamen totum quod in eo est. Id porrò verum est, totum Christi non esse simul pluribus in locis: quod ad humanitatē referāt oportet. In summa cogitemus, ut spirituale est totum Christi regnum, ita quicquid agit cum sua Ecclesia, ad rationem huius seculi non esse exigendum. Quæramus in Cœna eam corporis præsentiam quam Sacramenti ratio postulat, atque ibi quiescamus, desināntque crassi comedentes & corporatores, Christum bicorporeū & monstrosum facere, verbo Dei non contenti. Præterea, vt omnibus contingit qui extra viam aberrantes, quò plus festinant, cōlongius excurrunt: ita quoque Sophistæ dimidiantes contra Dei verbum Cœnam Domini, cum quem vnum eundemque populum Dei esse oportuit, constituto schismate secuerunt. Partem enim Ecclesiæ vocant laicam, prophanan, abiecam, & indignā quæ sacris Domini seruiaſ, cui interdixerunt cālicis & sanguinis
Sacra-

Sacramento : solis autem rasis & vncis. Sacra-
mentum sanguinis concessum est. Edictum
Dei æterni est ut omnes bibant. Antichristus
vetat, & abiecta hereditate Domini sancta,
solis apostatis & schismaticis concedit, & præ-
ceptum Domini audet antiquare, & abroga-
re leges à Deo constitutas. Sed & rationes
excogitat quasi prudentior sit homo diuina
sapientia. Casum effusionis sanguinis causan-
tur, quem tamen sub corpore per concomi-
tantiam haberi volunt. At verò, inquiunt, ali-
quid etiam honoris concedendum est creato-
ribus corporis & sanguinis Domini, ut sic à re-
liquo populo discernantur. Sed has leges ver-
bum Domini non docet. Illis itaque impostu-
ris non est immorādum, & satius esset illis non
respondere, quod dixit Augustinus de curio-
siss hominibus, qui nesciunt in quas abyssos ru-
ant præcipites. Coguntur enim nolētes fateri,
separata esse ex instituto Christi, panē & calicē.
Cur autem non dixit Christus, Ego sum: atque
iterū ego sum, potius quām, Hoc est corpus me-
um : & hic est calix in sanguine meo, signis &
verbis utrumque distinguens? Si tollatur pars,
quomodo quod restat, Sacramentum est? In
Cœna nōdū fuisse factos Apostolos sacerdotes

dicunt ipsi, sed post sufflatum in eos Spiritum sanctum. Cogitatur illis pares non habentur laici, hac in parte? Sed & in Cœna Domini solos admissos Apostolos, qui futuri essent sacrificuli, meatiuntur. Nam institutio Cœnæ, non eos tantum respicit qui primæ illi mensæ adstiterunt, & Domino assererunt, sed toti Ecclesiæ præcipitur, donec veniat Dominus, ut ex Paulo liquet. Curveò eodem argumento non arcentur mulieres à Cœna, quas constat in illa solenni Cœna cum Domino non accubuisse? At qui frēgerunt Apostoli panem per domos & familiās, quarum pars sunt mulieres. Præterea mille post Christum mortuum annis, constat calicem fuisse toti populo & mulieribus distributum. Itaque repellens Ambrosius Theodosium propter sanguinem ab eo inhumaniter effusum: Quomodo, inquit, poculum sanguinis pretiosi ore tuo participabis? Paulus quoque iubet Corinthios utriusque symboli participes fieri. Dicamus ergo audacter verbo Dei confisi, etiamsi totus mundus insaniat, sine sanguinis symbolo non esse mensam Domini. Nam quæ Dominus coniunxit, impius est & sacrilegū separare. Dicimus etiam quanvis diuer-

diuersæ sunt Ecclesiæ membrorū functiones,
 quas minimè oportet confundi, tamē populū
 Dei hæreditatem eius esse: nulos in pascuis
 Dei esse prophætos & laicos, sed sanctos om-
 nes electos Dei, genus Regium & sacerdotale:
 vñctos autē istos & rasos ac cælibes votarios,
 hœdos esse fœtidos, qui ad Dei regnū non per-
 tineāt. Hui⁹ sortis sūt Monachi, & quotquot se-
 à grege Domininouis imposturis, signis, capu-
 tiis, crucibus, rasuris & aliis præstigiis separāt,
 qualis est Durandus, & totus equitum illorum
 ordo. Teneamus itaque quod prædixim⁹, licet
 in Sacramēto Cœnæ duo sunt symbola, illa ta-
 men vnum constituere Sacramentū, ex quibus
 si alterū desit, æquè Sacramentū esse atque ho-
 mo est homo absque corpore, aut absque ani-
 ma. Hoc verò scelus quū propheticō suo Spiri-
 tu prænouisset Christus futurum in Ecclesia,
 nō de pane adiecit, Edite ex hoc omnes: sed de
 poculo, Bibite ex eo omnes. Marcus quoque te-
 statur, Et biberūt ex eo omnes. Et vbique Pau-
 lus pani poculū adiungit. Cæterū de adora-
 tione Eucharistiæ, diximus eam non esse ex
 verbo Dei. Nusquam enim legas Adorate, sed
 Edite, bibite. veri enim adoratores adorabunt
 Patrem in spiritu & veritate, ex verbo Dei,

non ex hominum placitis. Si dictum vobis sit, inquit Dominus, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Interea contemplemur vera fide, & adoremus sedentem in cælis, ad dexteram Patris. Sub adoratione, fidem cordis & oris confessionem & gratiarum actionem comprehendimus, quæ ad symbola terrena nulla ratione pertinere possunt. Externa autem adoratio in Cœnam irrepsit peruersa temeritate hominum, & nullo Dei verbo prævio, quum neque in illis elementis, neque in vlo terræ angulo nobis sit querendus Christus. Quod insuis liturgiis monebant veteres, quanuis aliquatenus iam immutato ritu simplici Cœnæ post Apostolorum ætatem. Nam post publicam concionem, precisque communes, prodibat in medium Pastor, instructaque mensa vino & pane, benéque precatus populo, vt Dominus illi adesset, dicens, Dominus vobis cum, monebat postea ne sisterent mentem in externis symbolis, sed sursum erigerent. Sursum (inquietabat) habetote corda: quod se facere testabatur populus, quum diceret, Habeamus ad Dominum. Hæc & alia plura colliget

studio-

studiosus lector ex Cypriano, Augustino, & aliis Patribus. Itaque qui sine symbolorum adoratione accipiunt Sacramentum, securi sunt se non deflectere à Dei mandato. Erant (inquit Lucas) Apostoli perseverantes in fractione panis & oratione, qui erat usus veteris Ecclesiæ, vbi de adoratione verbum nullum est. Sed neque Paulus illius meminit, dum acceptam à Domino Cœnā refert. Maneamus igitur in verbo Scripturæ sanctæ, quæ est Spiritus sancti schola, & ignoremus libenter quicquid in ea non docetur: tollamus omnes externas pompas, quæ sunt præter purum Dei cultum. Deus enim simpliciter vult coli, & ad exemplar quod nobis propositum est, ut præcipit filiis Israël, sic nobis præcipit. Subdamus nos Dei iudicio, nec attentemus quicquam quo Domini instituta violemus. Propterea has nugas Sophisticas contemnimus, quibus volūt numeratis syllabis & vocibus, simul etiam & literis, demitti è cælis verum illud corpus quod assumptum est è Virgine, & in illis visibilibus signis includi, aut certè deturbata rerū natura, in locū prioris substatiæ conuerti. Atque ut miserā suam infantiam omnibus mani-

festiorem reddant, addunt hoc somnium, expe-
 & standas esse vltimas voces consecrationis, ne
 quisquam præcipitanter ante auditum labio-
 rum sonum vltimæ syllabæ, attenter de Christi
 corpore quicquam cogitare. Verùm simul at-
 que fœtidus rausus vltima verba profuderit, tūc
 illo eodemque instanti sit & incipiat esse cor-
 pus illud Christi, per primum instans esse, aut ul-
 timum instans non esse, quæ est phrasis barba-
 ra Sophistarum. Nos vno verbo dicimus illud
 tot nominibus celebre EST, non *vna p̄t̄n̄s*, sed
μετωνυμία, dici: & ne quicquam h̄ic exigamus
 ad regulam Grammaticorum, cur nō suscipi-
 mus sermonis Lucæ & Pauli rationem? Vter-
 que dixit calicem esse testamentum in sanguine:
 Id falsum esse quis nondixerit, si tropū non
 admittas? Si admiseris tropum, cur non eadē
 ratione tropus nō erit in his verbis, Hoc est cor-
 pus meū? Vbique figuratā locutionē esse opor-
 tet & metonymiam. Nam recepta vulgataque
 phrasis est Sacramentorum, vt nomen rei si-
 gnatæ symbolo tribuatur. Ea nimur ratione
 Circuncisio est fœdus, Agnus est trāsitus, Sa-
 crificia legis sunt expiationes, Petra Christus,
 Arca fœderis Deus dicitur, & Spiritus sanctus
 Columba. Paulus panem vocat *κομματα* corporis
 Christi.

Christi. Aliud autem est cōmunio quām cor-
pus ipsum. Et sexcēta huiusmodi reperias pas-
sim per Scripturā, quæ absque tropo nullus in-
telligat. Et quum Christus suæ mensæ adfue-
rit, veróque suo corpore frueretur, non phāta-
stico, quod videbant & attrebatabant Apostoli,
quomodo corpus suum in panem infundebat,
quod tamen videbant Apostoli locū non mu-
tassem aut eum bicorporeū fuisse oportuit. Nam
quū loqueretur & diceret, ostensō & porrecto
pane, Hoc est corpus meum, organis corporeis
loquebatur, neque tunc disparuit corpus. Erat
ergo corpus per cuius organa loquebatur, &
aliud corpus in pane: sic duo corpora Christi
videbant, vnum vocale, aliud mutum. Præte-
rea communicasse Christum cum Apostolis
consentient omnes: quis itaque sobrius dixe-
rit Christum scipsum realiter & corporaliter
manducasse? Atque ita totum Christum in to-
tum Christum intrasse? Et se totum in os suum
continuisse? Ita & alia multa absurdā, quæ si-
ne horrore à Christianis hominibus dici non
possunt, evitabis, si ad tropicam metonymi-
cāmque interpretationem animum conuer-
tas, & à metamorphosibus sophisticis decli-
nabis. Verūm quum hic locus plenissimè

g.i.

tractatus sit hoc seculo à doctissimis viris, atque in primis à Iohanne O Ecolampadio, Vlrico Zuinglio, Bucero, Ioâne Caluino, Bullinger, & Petro Martyre, Theodoro Beza, atque adeò quū Philippus Melâchthon paulò antè quam diem suū clauderet, in eandem cum illis sententiam venerit, rectius esse visum est Lectores monere, ut ab illis doctissimis viris, quod hic deest accipiant, quam aliena scripta transcribere.

Prioris Libri finis.

PETRI RICHERII
 in impias Durādi Vilis ga-
 neonis, qui se Villagagno-
 né nominat, hæreses & bla-
 sphemias, Liber posterior.

C A P V T P R I M V M .



V V M P R I M V M O-
 blatum mihi fuit Scriptum
 eximii illius de gregario mi-
 lite facti Theologi Nicolai
 Durandi, Villagagnonis, at-
 que eius intemperiem satis
 supérque ex America perspectam habuissem,
 videbar mihi aggrediri emparum necessariam,
 si cum homine improbo, ignauo, bardo, & rei
 Theologicæ prorsus ignaro, de sacris contem-
 derē. Atque nolui inconsultis amicis manū o-
 peri admoliri, qui omnes vno cōsensu vt i per-
 gerē, pepulerūt. Neque mihi licuit per impor-
 tunas eorū efflagitationes quiescere, donec i-
 psū opus raptim, & vno yeluti impetu absol-

g. ii.

uissem! Existimabant enim tantā hominis flāgitiosissimi petulantia in piū Dei prophetam Ioannem Caluinum malleo tetundendā esse ab eo qui Dei beneficio in hoc negotio cū eo cōiunctā causam haberet. Nunc ergo quādo hoc onus auspice Deo subii, locus & tēpus postulat vt ad Durādi summā ignorantia cum pari audacia coniunctā, prætere ea quæ superiore libro dicta sunt, paucis respondeā, & contra hominis impuricalūnias, veritatis patrociniū suscipiā. Ne quis tamen mihi putet tantū otii superesse, vt meam operā impendere velim in fatuis omnibus scriptis Durādi impugnādis, monitos esse velim lectores vt meminerint nos superiore libro iam meliorē partē hæresum & blasphemiarū Durādi cōfutasse: nō eo quidē quo scripsit ordine, vt qui nullum ordinē aut methodū seruet, sed ita vt rei ipsius ratio postulauit. Sed & nunc quoque non omnes illas hæreses quas in hoc opere sparsit Durandus (scatēt enim vndique) refellere constitui, sed præcipua quædā quæ ad propositū argumentū spectant, ne sine fructu à nobis discedat pius lector. Prætermit-tam igitur ea omnia quæ ad grāmaticam verborū significationē pertinent, in quibus totus est Durādus. Præterea, quū repēte se factū philosophum

losophum simulet, quæ de motibus, de acci-
dētibus, substātiis, corporibus, lineis & dimē-
sionibus tractat, quæ de modis & formis argu-
mētationū, de cōsequutionibus refert, relin-
quemus pueris qui prima elemēta discūt . Iſti
enī optimē ac facillimē poterūt Philonidem
iſtū indoctū, prægrādi quidē corpore, sed im-
peritū & insulsū retūdere, vt ab illis discat pri-
ma philosophiæ & dialectices rudimēta. Vanā
nobis disputationē ex futilibus argutiis confla-
tam congerit Durandus 2.3.& 4.cap. libri pri-
mi, dum æstuat totus, variè disquirens, Cu-
ius rei effectus sit corporis Christi commu-
nicatio, An exhibitionis, an distributionis:
vt in hoc arguto & spinoso sophismate, cardi-
nem totius causæ versari dixeris. Panis (inquit
Paulus) quem frāgimus, cōmunicatio est cor-
poris Christi. Prius itaque exhibetur, quām
commune fiat. Absurdus autem est illi hic
fermo, nos pasci communione in Cœna, quos
mādudicatione ali oportebat. Est enī cōmunio
mādudicationis effectus. Subtilis est in Partici-
pationis vocabulo, in quo motū defyderat, nō
substantiam. Sed quorūm hæ nugæ? Nam
in rebus longè aliis & huius mysterii cogni-
tio, & nostra salus consistit. Fingis tu tibi Du-

g.iii.

rāde tuis ineptiis Eumenidum agmina, soleū
geminum, & duplices Thebas, sed istis tuis
ampullis nihil perficis. Ego verò, ne Thra-
sonico tuo fastu quicquam te consequutum
putes, paucis respondeo. Primum, nobis in
hoc argumēto de mēsa Domini dico conside-
rādas esse has causas. Duplex est materies Cœ-
næ, elementa nempe siue symbola panis & vi-
ni, quæ terrena & corporea sunt: deinde cor-
pus & sanguis Christi, imotatus Christus, quæ
spiritualia siue cælestia sunt. Formalis causa
est fides promissionum iunctarum mandato
Christi, & executio præcepti: aut simplicius,
si magis placeat, Mandatum, quo Christus ad
sacri symboli participationē nos inuitat, pro-
missione addita. Finis, ut corpori Christi insiti
per eius sacrificiū Deo recōciliemur. Nō enī
Cœna ipsa nos Deo recōciliat, sed adminiculū
est fidei, quod iustitiā nobis & recōciliationē
in Christo offert, sicut & verbum. Est enim v-
trumque potentia Dei in salutē omni credēti.
Hic est igitur verus & constans Cœnæ finis,
ut Christo vñiti, & per eius sacrificium Deo
reconciliati, salutem consequamur. Neque
separamus (Dei offerentis respectu) symbola
externa à vera Christi carne, & vero sanguine,
quum

quū existimem⁹ Christū vi, efficaciāq; sui Spī
ritus verē præstare & implere quod sub pane
& vino figurat. Ideò enim in terris visibi-
lem nobis panem porrigi sentimus , vt fide
sursum conſcendamus , & arcana Spiritus
virtute capiti nostro vniamur. Eſi autem
vitam ex carne ſua & ſanguine nobis inspi-
rat Christus , nulla tamen eius ſubſtantia
cum noſtra commixtio ſtatuenda eſt. Sic
enim æternam vitam ex ſubſtantia carnis &
ſanguinis ipſius percipimus, vt maneat ta-
men integer homo Christus in cælo . Inte-
reia tamen non aliud in Cœna quām verum
& naturale Christi corpus nobis proponitur,
atque adeò illud idem quod à Virginis vtero
produit , quōdque in cruce pependit . Neque
enim Christum bicorporē fingimus, vel aliud
quām ab ipſius vera carne petendam eſſe vitā
quæ in ſacrificio ſemel oblata eſt. Non tamen
ideò ſubſtantia carnis à nobis deglutitur, vt ſit
nobis in cibū, nec ſanguis ſubſtantialiter hauri-
tur, vt ſit nobis in potū: ſed manet panis verū pī
gnus carnis Christi, & vinū ſanguinis, & vera eſt
utriusq; exhibitio ſeper, quod ad Deū attinet.
Sic docet Irenæ⁹, qcquid præter panē & vinū
in Cœna datur, ſpirituale eſſe. Sic Hieronym⁹

g.iiii.

in caput primum ad Ephesios ,dupliciter intel
ligit carnem Christi, Spiritualem & diuinā, de
qua dictum est , Caro mea verè est cibus: aliam
quæ crucifixa fuit . Non quòd duplex sit Chri-
sti caro re ipsa, sed quia participationis modus
supra cælū nos attollit. Sic intelligēdus est Au-
gustinus in Psalmum nonagesimum octauum,
Corpus in Cœna discipulis non illud datum est
quod in cruce peperidit . Idem tamen alibi Iu-
dæos ait prædicatione Petri conuersos, sangu-
inem quem fuderant bibisse. Atque hunc man-
ductionis modum, aut communionis, aut par-
ticipationis, aut fractionis iterum Durando in
culcasse sufficiat , ne toties nos repetere cogat
quod obstinata malitia intelligere nequit. De-
clarato manductionis modo, explicemus pau-
cis quæ sit exhibito, siue communio, siue par-
ticipatio . Exhibitionem dicimus esse dupli-
cem: vnam elementorum corporeorum & visi-
bilium, ut ab externis illis & terrestribus si-
gnis ad rem cælestem assurgamus, quæ sym-
bola ore corporeo suscipimus : alteram au-
tem qua nobis exhibetur veritas corum quæ
nobis per sacramenta figurantur , nempe ve-
rum & naturale corpus & sanguinem Chri-
sti. Hoc autem exhiberi dico verè omnibus à
Christo,

Christo, licet à solis fidelibus percipientur, idque sacramentaliter ac spiritualiter, verè tamen & efficaciter ore fidei. Atque hæc est exhibitio quæ nobis fit, in ipso actu mandationis, & communionis, & participacionis. Communionem autem, quam etiam Paulus fractionem panis appellat, sua lingua ~~uocavit~~ corporis Domini vocat, ac si commune inter plures epulum dixeris, aut verius dispensationem interpretantur, aut distributionē, cuius significatio velex ipso contextu satis supérque dignoscitur, vbi eos qui sacrificant dicit esse altaris ~~uocavit~~, & vetat fideles fieri ~~uocavit~~ dæmoniorum. Nam et si altaris & dæmoniorum ~~uocavit~~ dispensationem significat, idem in corpore Christi valebit. Sin verò societatem notari magis placet, non reclamo, vt verè fiat communicatio, participatio, manducatio corporis Christi, quando cum ipso coalescimus in vnum, & in ipsum insiti verè fruimur eius vita: quod tamen naturaliter non sit, sed arcana Spiritus Dei virtute, non corporis influvio aut influxu, sicut fingit Durandus. Spiritualis ergo materia est corpus & sanguis Christi, vt terrestris materia est panis & vinum. Si istud tibi sit

.. pro fundamento Durande, facile intelliges an sola corporali manducatique nostrum fiat corpus Christi, an vero Christum fide amplecti oporteat, vt noster sit. Paulus enim ad eam societatem & ~~univis~~ nos reuocat, quia vnum cū ipso efficiamur, quæ communicatio non est panis solius, sive elementi, sed veritatis, quæ per panem designatur. Tolle igitur quos tu tibi finxisti materialis corporis Christi influxus & defluxus, idest cerebri tuideliria. Has, inquam, tolle impias & blasphemias voces quibus vteris Durande, dum cum Christo ludis, & eius Sacramenta pessundas: quas partim vt insanas, partim vt hæreticas & impias reiiciimus & damnamus. Sunt autem huiusmodi. Prima, Christum per distributionem communicantibus se exhibere, non per communicationem. Secunda, Communicantes non alicorpore Domini per communionem, sed in communione per manducationem. Tertia, Participationem corporis & sanguinis Domini non tenuire spiritus sancti defluvio, sed manducatione. Quarta, Manducari corpus Christi spiritualiter, sed non sola fide aut spiritu. Quinta, Si manducatio sit opus fidei, fieri non posse vt Apostoli māduca-

rint:

rint: & alia huius generis hinc & illinc spar sa. Vide quot capita, quot paginas præclari illius tui operis hac vna litura deleamus. Deinceps verò ad alia non minus noxia dogmata diuertemus : ea, quoad eius fieri poterit, paucis diluemus , quod facile nos assequuturos speramus . Nam Durandus sua dogmata ut iam receptas sententias proponit, quasi ius habēs quiduis statuēdi, quāuis nihil probet, & perinde acsi pendeant omnia à tanti viri authoritate, arbitratu & placitis, nihil ex Dei verbo petit, sed paucula quædā aspergit ex Patribus, quos reperit à Caluino citatos.

Caput secundum.

VA Mferax fœcundūmque sit huma-
num ingenium in erroribus gignendis
multorū exēplo, & cōsuetudine probamus ni-
mis frequēter. Sed non adeò multi sūt qui in ui-
cta pertinacia & improbitate (quos Paulus vo-
cat *ἀνεξανθίνεις*) nō modò veritatē resistāt, sed etiā
Ecclesiæ pacē & cōcordiā, lacerēt: quos solet
Scriptura distiguere. Illos enī infirmos vocat,

quos tolerare tantisper iubet, donec quod nesciunt, reuelatū sit. Hos autem vitādos præcipit Paulus, etiam ab Episcopis: sunt enim subuersi, & proprio iudicio condemnati. Nolim profectō sponte malē ominari de Durando, sed quis sit, exitus ipse statim probabit. Nos enim quæ extēt in hoc homine infidelitatis, ignorantiae, apostasiae & præfractæ improbitatis signa, celare nec possumus nec debemus, quū suæ perfidiæ quasi ludum aperuerit, & dissidium & scandala faciat contra doctrinam fidei, quod est peculiare hominis hæretici. Hæc enim duo hæresin constituere docet diuus Paulus in prima ad Timotheum epistola, capite sexto, quum dicit, *Siquis ἐποδεσμολητής*, nec acquiescit sanis sermonibus: alios verò ~~πατερίτης, οὐ πλευρής~~ appellat. Hic ergo Durandus, quod olim in mente conclusum habuerat, quum intus retinere non posset, quin spargeret in vulgus, principio huius indocti & prophani operis blasphemias suas euomuit: capite scilicet primo & 40, 41, 42, 43, 44, libri sui primi, itē tertii libri 10. & 24. capit. in hæc propè verba: Operaret in Cœna à manducantibus oblationē fieri diuini corporis, incruentā scilicet hostiā quā Deo offerant, oblationē autem sacrificio

anteuerti. Præterea tradit de oblatione corporis Christi Deo facienda mandatum esse Apostolis, quum dictum est, Hoc facite, hoc est corpus. Nam dari non potest Christus pro nobis, nisi prius fiat prece mystica. Tam arcta ergo copula (inquit) inter se corporis effectio & oblatio cohærent, ut à se diuelli non possint. A Cœna ad Christi mortem, neque nos, neque Apostoli ablegati sunt. hinc concludit oblationem corporis & sanguinis Christi, Ecclesiam ab Apostolis accepisse, quæ in uniuerso mundo obseruetur. Hæc primum discussiamus, postea ad alia non minus noxia dogmata descendemus. Relinquemus genus probationis Durando familiare, qui neglectis syllogismis, & nulla Dei verbi proposita auctoritate, omnia suo arbitratu & placito definit, inuoluit & confundit. Aggrediamur nunc quæ de oblatione corporis Christi Deo peragēda, tradit Durādus, absque ullo verbo Dei, & ore Domini minimè requisito. Agnosco quidē veteres nonnullos incruētæ hostiæ meminisse, quibus verbis testatur in poculi symbolis naturalē sanguinē non adesse. Alioqui quomodo incruentū esset quod vero naturalique sanguine non careret? Sed incruentum sacri-

ficium dixerunt in quo fit veræ hostiæ cōmemoratio , eāque minimè inanis, quādoquidem cohæret spiritualis quidem, sed vera tamen & efficax eius perceptio per fidem. Sacrificium autem visibile dixit Augustinus libro decimo de Ciuitate Dei , cap.5, Inuisibilis sacrificii sacramentum, id est sacram signum. Neque dicit cum Durando, corpus Christi sacrificari & offerri Patri ad impetrādam peccatorum remissionem, vt sic Deum promereant, & expiatoria victima sibi Deum recōcilent. Hoc igitur Durandus , alioquin istorum quoque prorsus ignarus, accepit à suo Possoto barbaro monacho, qui prophanam & Satanicā suam missam putat esse genus placationis, vt pro viuorum & mortuorum expiatione Deo satissiat. Hoc autem quid aliud est quàm insigni contumelia Christum afficere, crucēmque eius sepelire, & salutarem eius mortem opprimere? Atqui nos docet author præclaræ illius Epistolæ ad Hebræos, Christū Iesum Sacerdotem & Pontificem à Patre consecratum (non ad tempus vt Leuitæ) sacerdotium habere, sed æternum secundū ordinem Melchisedech . Neque ex quo impleuit solēne illud Sacrificium redemptoris viuificæ, posse alium Sacerdotem cōstitui:

Ipsæ

Ipse enim vnicus est Sacerdos qui se ipsum Pa-
tri (vt constitutum erat æterno Dei decreto) se-
mel obtulit, vt hoc publico & solenni sacrificio
cesset ius illud altaris & oblationis pro pec-
cato. Vno enim sacrificio (inquit ille) semel
Christus in omnia fœcula defunctus est. Semel
se ipsum in sacrificium obtulit, quo nos in per-
petuum sanctificaret. Fluit enim perenni sca-
turigine sanguis ille viuifcus, quem fide per-
cipimus & apprehendimus, fruiturque Eccle-
sia sine vlla intermissione sacrificio illo, cuius
vis & efficacia nūquam evanescet aut deficit.
Quis ergo te docuit, Durande, contempto sa-
crificio Christi æterno, & neglecto eius san-
guine, quem præsentem fide percipimus, hi-
storianas tibi fingere oblationes, & sacrificia
cōficta, vt repetas quod iterari nefas est? Id ve-
rò nos tibi non fabricamus extra Dei verbum,
vt tu soles vanos animi tui cōceptus nobis pro
oraculis proponere. Sint tibi tuisque Sophi-
stis, tua idola & vetita sacrificia: nobis Dei ver-
bo innaxis, vnika sufficit illa oblatio corporis
& sanguinis Christi, quæ in perpetuum con-
summauit sanctificatos. Nulla enim nobis re-
stat hostia aut oblatio, quandoquidem moriens
Christus omnia illa consummata esse pronun-

tiauit. Hoc veritatis lumen si ferre non potest cæcus Durādus, viderit ipse, & suo sensu fruatur, qui tenebras luci prætulerit, cuīque non satis sit vñica illa hostia, nisi nouas superinducat in opprobrium crucis Christi. Neque intelligit per se & illud sacrificium Christi nouis oblationibus non indigere, quod sua veritate & veluti corpore, veteres umbras & Legis pædagogij sustulit, quæ tamen omnia à Dei Spíritu olim prodierant, vt suo tempore valerent: in quoru locum sua mendacia & confictos cultus nobis substituere conatur Durandus, à ministris Satanæ & Sorbonicis Sophistis illeatus. Iungimus autem sacrificio illi solenni Euangeli prædicationem & Cœnæ participationem, vt illiusfructum cōsequamur. Neque nobis alia altaria quærimus. vnicum nobis altare Christū esse testatur Hebræis Apostolus, & mensam & sacrificium & hostiam. Contrà blasphemus Durandus Christum audet Patri offerre. Sed quo authore? Et audet Christum suo ministerio spoliare, quoad eius fieri potest. Habet enim Christum in manu non aliter quām Iudas, quo cum ludat, quē Patri offerat, etiam vt cum Iuda diabolus sit. Non ergo aliter Christum offerre Patri poteris Durande, quām

quām Iudas, quām Satan ipse obtulerit. Præclarum profectō impuri hominis sacrificium, qui cupit sui ipsius redemptor fieri, neque patitur ut à Cœna ablegetur ad mortis Christi sacrificium, neque vult Cœnam sibi esse monumentū ultimæ illius expiatrixis & vnicæ expiationis, ut sua fides cruci Christi sit affixæ. At nos sublato altari, mēsam tenemus. Nullos consecrauit nobis Dominus sacerdotes qui immolent, sed ministros qui sacrum epulum distribuant, & præfint verbo. Supersunt nobis sacrificia laudis, vituli labiorum confitentiū nomini eius, ut nobis testatur Prophetiæ. Estque Domino sacrificium illud gratissimum & bene acceptum. Neque amplius cruentè vel incruentè sacrificatur, si veritatem reispettemus, & abstineamus ab allegoriis, quibus etiam optimi Patres non caruerunt. Sit nobis hic scopus, Christum una pro peccatis oblata victima, perpetuò sedere ad dexteram Dei: id quod superest expectans, donec fiant ipsius inimici, scabellū pedum eius. Præterea ubi est plenaria peccatorū remissio, ibi sciamus non amplius esse oblationi pro peccato locum. Atqui plenariam nobis obu enisse remissionem peccatorum per mortem Christi

h.i.

nemo dubitat, fide instructus. Nullum ergo amplius sacrificium pro peccato esse fateamuro portet. Sed obseruemus quò rabies Satanæ impulit miseros Papistas, vt ex hac fouea in aliam detersorem ruerent: quam etiam non refugit Durandus, vt qui omnia probet quæ contra Deum & Christum Dominum fuerint. Putridas illas oblationes ait mōr tuis prodeesse, sicut quondam baptizati sunt nonnulli pro mortuis: sed mentem Pauli non est assecutus, vt ex eruditorum Theologorū cōmentariis liquet. Ab hac lacuna prodiit phantasma illud ridiculum Purgatorii, & tota Papistica culina, quò suos ventres farciunt homines otiosi, & illis impiis sacrificiis & oblationibus omnem hominum substantiam expiscatur. In summa, expiatorium sacrificiū quod pro purgādis expiādīsque peccatis offeretur, fierinō potuit sine morte & sanguine. Illud perfectè Christus exhibuit cuius typi ac figuræ fuerunt vetera omnia sacrificia. Tale sacrificium hodie non extat (etiam si millies reclameret mendax Durandus) sed obseruatū ex Christi mādato cōmemoratio sacrificii semel peracti in cruce. Neque enim Christus iterum sacrificari vel debet, vel potest, qui semel

ineloblatus sufficit expiandis omnibus omnium seculorum delictis. Neque à quoquā hominum Filius Dei sacrificari potest. Itaque verus Ecclesiæ Christi minister, corpus & sanguinem Christi in Cœna nec pro viuentibus nec pro mortuis sacrificat, vel iterum offert, sed cum tota Ecclesia sit veri & vniuersitatis illius sacrificii particeps, cuius memoriam in sacra illa actione celebrat. Neque inficiamur quī hoc modo Cœna sacrificium nominari possit (sicut etiam fatetur Augustinus) sed ~~in~~ ^{ex}piatoriis, siblatis expiatoriis & holocaustis: quod certè sacrificium laudis offertur promiscuè ab vniuersali Ecclesia in ea celebri actione Cœnæ. Eat nunc Durandus cum suis næniis & fabulis, & discat in sacris & tam seriis rebus prophanè non loqui. Quis enim hominum qui vel grammaticè loqui sciat, dixerit, hæc verba, Accipite, Edite, Bibite, Facite in mei memoriā, significare, Offerte Deo Patri, & sacrificare, & ita hac locutione mandatū Apostolis ut offerrent & sacrificarent: Certè debuit meminisse syntaxis verbi Facere, ut est apud Vergiliū, Quum faciam vitula pro frugibus. Sed hunc asinum missum faciamus, ne sacra nostra conspurcat. Nos enim tibi prædiximus

h.ii.

Durande, ne tam misericordia torqueas in rebus apertiis, his verbis cōiunctas esse promissiones participandi corporis & sanguinis ex Domini mandato, vt in fractione panis, & sanguinis populo, ordinē & ritum seruem à Deo præscriptū, & sic promissionū participes simus, vīmque viuificā ex Christi carne in nos per Spiritū sanctū diffundi sentiamus, & fruamur vero corpore Christi, vt sit animis nostris in cibū salutarem. Fatuum est quod infert Durandus, corporis effectionē & oblationē cohærere in symbolis. Nos enim illi utrūque negamus: neque symbola offerri debere, imò neque Christū ipsum: imò si ea ita essent, vt certè nō sunt, cohærere tamē negamus. Vbi enim illa cohæretiæ cōsequutio? Philosophari se putat Durādus, ineptus alioquin Sophista, & in his seriis ludit, quæ debuit ex verbo Dei probare. Hanc idolomania & impietatem Apostolos à Christo accēpisse mentiris, Durāde. Est enim cum prophanatore sacrorum Dei misteriorū sic loquendum, ne quicquā tibi condonemus. Nō pugnat æterni Dei veritas & sapiētia cum Christi doctrina, quæ omnino eadem est. Neque aliud docuit Ecclesiā Christ⁹, quam quod scriptū est. Exsacræ Cœnæ īstitutione, hoc mysterium

sterium est panis & poculi distributio, corporis & sanguinis communicatio, gratiarum actio, memoria mortis Domini, in quibus tota Cœnæ actio consistit. Sic Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus docuerunt, vbi ne minimuni quidem verbum factum est hostiæ Patri offerendæ. Neque cuiquā licet institutioni Christi addere aut detrahere. Cæterūm ineptissim⁹ iste Thraso Durādus, quū nesciat quorsū se veritat, vt qui destituatur omni Scripturæ testimoni⁹, Patrū sententias ignoret, Concilia Pōtificum non sit sectatus: capite tamen 58 & 59 libri primi, ab authoritate & vſu vniuersalis Ecclesiæ argumentū sumit, vt ē suis somniis oracula deponiat, homo argutul⁹. Nemo, inquit, à Petri tēporib⁹ inuētus est qui sacrificii Cœnæ Dominicæ nō meminerit cōtra vestrā doctrinā institutæ. Respōdemus, Neq; Petrū, neq; nos instituere Cœnā Domini, quā ab hominib⁹ nō habemus, sed à solo Dei verbo. Dixit enī Paul⁹, se tradere quod accepit à Domino, nō quod emēti illi Scriptores, Clemēs, Anaclet⁹, Alexāder, & cæteri tradiderūt. Neq; alia in Ecclesia valet auctoritas, quam vni⁹ Domini. Nō enī tradit Paul⁹, vt fanaticus Durādus, suū cōmētū, nouā Cœnā suo arbitratu cō-

h.iii.

fictam, sed habet Christum authorem à quo accepit quod scribit, & per manus tradit. Scimus autem quantum fardum inuexerit Satan, vt Ecclesiæ Sacra menta fœdaret. Redeamus ergo ad nostrū illud principiū, Ab initio nō ita fuisse: quod priore libro pluribus demonstratū est. Porro Durādus, quāvis mendacissimus, tamen priorum scriptorum quæ ab aliis emēdicauit parū memor, ex Cypriani sententia scribit, Passionem Domini esse sacrificiū quod offerimus. Idem nē pē quod ipse fecerit. Scriptura autē dicit, Edite, Bibite, &c. morte Domini aūnūtiate. In calice est memoria passionis quam offerimus. Id si ita est, iam conuenimus, cūmque mendacem esse oportet in omnibus quæ prius inuercundē dixit. Sic disfidet à seipso & ab omnibus miser & inconsans Durandus. Quum enim toties repeatat memoriam passionis Christi in Cœna esse annuntiandam, vt potè quæ basis sit ac fundamentum istius totius institutionis, tamen veluti vertigine & nimia crapula labore, statim reddit ad vomitum, & ostendit ex his locis appurere, falsum esse in Cœna ad mortem nos vt Apostolos amandari, vt à peccatis mūdemur, & fructu oblati in cruce Christi corporis potiamur,

mur; atque eā gratiā hauriamus; quā extra cruce
 cem habituri nō eramus. Ecce igitur aliud no
 bis prodigiōsū erroris monstrū quod euitare
 cupiebā, ne in eo retundēdo insisterē. Verūm
 ex his abyssis tot prodeunt mōstra, quæ vltro
 se nobis offerūt, vt ea, etiā si maximē velim⁹,
 euitare non possumus. Cæterū, quū non dubi
 temus nos à peccatis emūdari vnicō lauacro
 sanguinis Christi, necesse est vt is, quem sua
 carne & sanguine pascit Christus, in spē salu
 tis æternæ, fide vera teneat, corpus Christi sic
 fuisse pro nobis immolatum, vt munere obserua
 tur; ac vnicū illius sacrificiū efficacia, in se sen
 tiat sanguinem sic effusum, vt sit illi perpe
 tuus potus. Sic iubemur accipere corpus
 quod semel oblatum est in salutem nostram;
 vt ea participatione, mortis illius virtutē certo
 statuamus in nobis efficacem fore. Vnde & po
 culum Fœdus vocat in sanguine suo. Neque e
 nim simpliciter dixit, Hoc est corp⁹ meū: sed ad
 didit, Quod prō vobis trāditur. nec simpliciter
 dixit, Hic est sanguis, sed addidit, Qui prō vobis
 funditur in remissionē peccatorū. Atque adeo
 tota energia Sacramenti posita est in his ver
 bis, Quod prō vobis trāditur, Qui prō vobis
 funditur. Neque enim magnopere cōducere tū
 h.iii.

biscorpus & sanguinem distribui, nisi mortem Christi redolerent, à qua vniuersus salutis & reconciliationis nostræ scopus & pena peccatorum remissio dependent. Est ergo à Cœna ad crucem Christi properandum. Nos enim Christo salutariter non vescimur, nisi crucifixo, dum efficaciam mortis eius viuo sensu apprehēdimus. Noscamus, inquit, in salutem Christū, sed illum crucifixum: gloriemur cū Paulo in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quā mundo crucifigimur, & nobis mundus: in qua Christus maledictionem nostram sustulit, & sua morte mortem nostram absorpsit. Huius autem vigorem percipimus in Cœna efficacius quam in nuda siue simplici Euāgelii prædicatione, dum nobis per fidē cernentibus, pollicetur se nostro cōmodo per pessum esse quicquid passus est, ut tam salutaris ad nos redūdet passionis & mortis suæ fructus. Nam panis vitæ non esset, nisi mortuus nobis fuisset. Iā facile intelligeret Durandus, nisi planè stupidus esset, à Cœna nos reuocari ad mortem Christi. Nam absque studiosa mortis Christi cogitatione Cœna nobis esse non potest: neque Christum sumimus in cibū, nisi quē fide percipim⁹, & nobis mortuum,

tuum, & nobis crucifixum. Id profecto est annuntiare mortē Domini donec veniat, beneficium scilicet mortis Christi in gratiarum actione retinere, & palā prædicare quod intus fētimus. Sed adhuc torquetur Durādus, quod primam suam Cœnam manibus suis peregerit Christus, paulò ante suam mortē. Quomodo ergo reuocati sunt Apostoli à Cœna ad mortem, quæ adhuc exspectāda erat? Quasi verò & Patriarchæ & Patres veteris Legis, in sanguine Christi, quem vetera sacrificia demonstrabāt, iustificati & seruati nō fuerint. Quasi verò Abraham diem Domini fide vera non viderit, aut perierint omnes ab Adam ad mortem usque Christi, & gloriam Dei prius non senserint, quām Christus illam quā sustinuerat mortē, destruxerit. Quod si pergimus, somniabit nimirum Durandus suum Papisticum & fantasticum limbū, & in nouos laqueos incidemus. Hæc autem de hoc negotio dixisse sufficiet. Non enim quærimus fatuo Durādo, sed piis auribus satisfacere, qui gustu fidei, non inanibus fumis delectantur.

Caput tertium.

PERGIT Durandus hæresi alia in Deū & sanctum eius verbum punctim cæsimque pugnare, ut qui primi sui libri cap. 76, 77, & priorib' aliis aliquot, proponit multa esse ex fide tenenda, quæ scripta non sunt, sed per manus à majoribus tradita. Paulum enim traditiones suas sermone prolatas non scriptas, obseruari iussisse, 2. Thess. 2. Addit Tertullianis sententiam. Quibus, quando non habet aliud suus Possoius quod eum doceat, tueri se posse putat obmurmuratas consecrationes, mixturam calicis, additionem olei, chrismatis & salis in Baptismo, & cæteras huiusmodi nugas. Nos vero dicimus, omnibus hæreticis vnum hunc esse finem in quo omnes suos conatus intendant, doctrinæ verbi Dei constans illud firmumque propositum & authoritatem ab hominum cordibus euellere, & in ordinē vanarum futiliūmque opinionū redigere, quasquisque pro suo sensu cōfinxit. Id si semel obtineat Satā, arcē religionis primariam & propugnaculū occupat, acūmque est de hominum fide. Nam qui Scripturæ sāctæ discipulus non est, & tāta eius

eius auctoritate non innititur, ut ēā reuerenter amplectatur, & Deū quem manifestat, suisque (quod aiunt) coloribus depingit, vñā cū ipsius cultu quem nobis testatum voluit illic esse Dei bonitas, quomodo illius rectæ sanctæque doctrinæ fructū percipiet? Quomodo absque obedientia verbi, quod nobis est lucerna, procedet certa Dei cognitio? Vnicum ergo nobis est fidei subsidium in verbo Dei positum, ne lubricus humanæ mentis lapsus in omne genus errorum, & fictiarum religionum ruat: illic enim æternæ veritatis regula: illic fulgor diuini vultus: illic legitimus Dei principatus & sceptrum: illic Lex Domini immaculata, conuentens animas, testimonium Domini fidelesapientiam præstans paruulis: illic peculiaris filiorum Dei schola. Nam qui Deū eiisque præcepta sine verbo & Scripturæ testimonio quaerunt, operam ludunt, & in tenebris versantur. Noluit enim Dominus nos suæ veritatis certiores reddere, veluti Patres ante Legē insomniis & oraculis, sed solius Scripturæ testimonio, in qua nouissimè per Filium loquitus est, & suam perpetuæ memoriae veritatem consecravit, ac si viuæ Dei voces illinc exaudirentur, vt hoc esset fundamētum & basis Aposto-

Iorum & Prophetarum ac vniuersæ Ecclesiæ, sine quo Ecclesia stare nequeat. Cuius autho ritatem petunt retinéntque Patres ex sacro Dei ore, vt illius anchoris veluti retinaculis quibusdam totus mundus in obsequium cogatur. Nunquā enim conscientiis hominū sat is cōsultum esset, vacillaréntque perpetuò, & instabili fluctuantíque dubitatione circūfer rentur, nisi aliude quām à cōiecturis humanis que sentētiis aut v̄su quantūuis vetere pēderet earū persuasio . Quare nihil augustinus esse potest quām sacra illa Sancti Spiritus testimonia, alioqui penitus occulta , ex Diuinis scri ptis cognoscere, in quibus nimirum loquen tē, humanóque more nobiscum veluti balbu tientē, docētem, promittentē, & minitantem Deū oculis nostræ fidei certōcōspicimus. Itaque si puros oculos, & integros nostræ fidei sē sus illuc afferimus, statī occurrit mirabilis illa Dei maiestas, quæ nos foueat, regat, pareréq; sibi cogat, & fir̄nam ipsius in nos dilectionis certitudinem cordibus nostris infigat . Est enim de se solus Deus idoneus testis, per suum verbum, vnde Spiritus ille idem qui per os Prophetarum & Apostolorum loquitus est, in corda nostra penetrat, vt nobis persuadeat
quod

quod sub verbō ūxōtice lāget. Sicut int̄' odōcti
& interiore magistro Spiritu Dei, acquiesca-
mus in Scriptura, ut potē quæ sola sit ~~certitudine~~,
& nullius exterioris certitudinis egens. Subsi-
dit enim per illū Spiritum Dei, cuius vis tanta
est, ut omnes potestates subigat. Atque tanto
stabilimento suffulta Scriptura, Dei brachiū
nominatur, quod omnibus reuelatum nō est,
licet omnibus prop̄e adsit, neque sit ex abyssis
aut à cælis procul petendū. Quare nō abs re
Dominus verbi sui tantam curam habuit, vt
à Mose, Prophetis, Apostolis & Discipulis in-
uiolatum ad hos vsque fines seculorum trans-
miserit, ac non absque miraculo vindicarit à
neglectu sacerdotum & impiorum hominum
tyrānide: quod nobis testātur Iosiae Regis, Je-
remiae, Baruch, Antiochi, & aliorū historiæ: an-
deovt Augustinus non dubitet Iudæos, infe-
stissimos Christi hostes, Ecclesiaz librarios
vocare. Itaque ex tot insidiis semper euasit in-
columē Dei verbum perpetuò in finem vsque
seculi duraturū, quod tot omnium seculorū,
sanctorū virorū sanguine sanctū est. Cuitā-
tam auctoritatem tribuendā esse censemus, ut
in Ecclesia Dei nihil constitutum, aut consti-
tuendum esse putemus, nisi prævio illo Dei

verbo, veluti regula, adeò quidem vt in sacris firmissimum etiam res esse arbitremur argumentum quod dicunt dialectici ab authoritate negatiuè, quam nihil prorsus in Dei cultu constituirit posse, quam quod Sacris literis fuerit sancitum. Blasphemat itaque Durandus in Deum & sacrosanctum eius verbū, docens traditiones humanas in verbo Dei non comprehensas, & quæ ad nos veluti per manus transierint, esse fidei doctrinā. Nos contrā, etiamsi aī Apostolis, atque adeò ab Angelis ipsis aliqua eiusmodi prodiisset, pro anathemate habere nō, vt Paul' iubet. Dicim' igitur ex Paulo (Rom. 10) fidem esse ex auditu, auditū ex verbo Dei. Vnū hoc est quod molitur Durandus, quod que conatis sunt hæretici omnes, vt pēpetua dubitatione fluctuemus, & sic pereat à nobis Dei virtus, certitudine verbi Dei translata ad vanashominum imposturas, quas inducunt homines vertiginosi cum impio Durando, vt qui non vereatur iniuriam non ferendam sancto Dei Apostolo inurere, quod suas traditiones non scriptas, & quæ ex Dei scripto verbo non essent, seruari ut fidei & salutis doctrinam constituerit, quū alibi testatus sit, suum idem esse Euāgeliū quod Christi, & anathemate motet

notet quiduis aliud, etiam si Angelus illud ē
cælo pronuntiarit. Ceterè non fuit alia Pauli
doctrina quam Christi, qui etiam in tertium
vsque cælum raptus, non destitit proficere in
doctrina Legis & Prophetarum, & Timothe-
um hortatur ut lectioni attendat, quæ utilis sit
ad docendum, monendum, arguendum, quò
perfecti reddantur servi Dei. Quā perfectio-
nem se etiamur, si quoquo modo illam Dei be-
neficio apprehendimus. Durandus extra Dei
verbum perfectus esse cupit, in eo certè pror-
sus demens & delirus. Paulus autē cum Thes-
salonicensibus agens de re omnium maxima,
nemp̄t in horribili Ecclesiæ cōcussione sta-
bilis maneret eorum fides, & de futura Anti-
christi potentia prophetans, monet ut ~~etiam~~,
id est regulam fidei à se traditam seruent. Etsi
enim vocantur etiam ~~etiam~~ quæ in Eccle-
sia Dei, non simpliciter pro fidei doctrina, sed
ordinis causa dūtaxat, ad fouendam pacem ac
ipolitiam pro diuersa locorum & temporum
circumstantia constituuntur, tamē hæc signi-
ficatio huic loco cōuenire non potest. Bis igi-
tur inceptus est Durādus, qui ex hoc Pauli loco
suas illas cōstitutiones, non tantum vanas, sed
etiam verbo Dei ex diametro repugnātes putat

posse comprobari. Videmus porro Apostolū nihil ex se fabricare voluisse. Testatur enī alibi se nullū cōscientiislaqueū inieciisse. At verò Spiritus Prophetarum subditos Prophetis dicit Paulus. Atque hac ratione arbitrātur monachis posse Dei decreta figere ac refigere, & sua somnia stabilire, vt solet hic Durandus suas imposturas. Nos verò dicimus Paulum his verbis docere voluisse nullū esse in Ecclesia Dei positum extra aleam censuræ, sed sic omnes audiendos, vt eorum doctrina ad examē reuocetur. Interim manet Spiritui sancto sua maiestas, vt is vñus omnia iudicet: manet etiā sacro Dei verbo sua reuerentia, vt absque disceptatione recipiatur quod in eo inuentum fuerit. Quoniam autem certa & diversa mensura Deus est in hominibus efficax per Spiritum suum, quò sit vt semper aliquid nobis desit, ideo necesse est vt alii ab aliis discamus. Sic ergo donum Dei subiectū est examini, vt expēdant Prophetæ ex verbo Dei, nūquid à Dei Spiritu profectum sit. Prophetia enim exigitur ad analogiam fidei, vt nihil probetur aut improbetur nisi ex Spiritu & verbo, Rom.12. Quod autē scripsit Paulus Corithiis, (1. epist. cap. ii) cæteras capude eos cōstituturū, postquam
cō

cōvenisset statutum est, & in optum trahere ad ea
quae ad fidem proprie pertinent. Debuerat Du-
randus ex Hierosolymitano cōcilio, cuius me-
minit Lucas in Actis, argumentum deprom-
pisse. Nullus est enim Papistis robustior aries,
qua stabiliant auctoritatem suorum cōciliarū
pontificalium, in quibus cōputas illas bestias
errare non posse contendunt, & ius habere Le-
gum cōscientiis ferendarū. Huius tamen argu-
menti nō meminit. Possotus in illis notulis suis
quibus hoc præclarum suum opus infarsit Du-
randus: Ego verò ne quid prætermissem videar,
paucis respondeo. Concilium Apostolorum
auctoritatem habuisse à Spiritu sancto, Visum
est, inquit Lucas, nobis & Spiritui sancto: Quis
autē concedet visum esse Spiritui sancto quod
ignauis istis a finis placuit cōminisci? Quod au-
tem in eo concilio Apostolico cōstitutum est,
istos aperte condānat Diabolici furoris, qui se
falso iactat auctoritate Apostolica præditos:
ibi enim Apostoli nō ex suo capite, sed ex Dei
verbō cuius sunt puri interpretēs, statuunt ab
uno Christo per fidem, absque operibus, petē-
dam esse salutem: Isti verò è contrario in suis
conciliabulis nullam maiorem hæresin esse vo-
ciferantur, quam si quis dicat se sola fide iusti-

i.i.

130 ADVERSUS VILLAGAGN.
ficari & seruari in vno Christo. Deinde Apo-
stoli testatur se nolle imponere nouum onus cui-
quam, sed velle potius vetus illud Legis abro-
gatæ iugum excutere. Istiverò quot legū mil-
libus miseris conscientias illaqueant? Quod
autem ad illa quatuor attinet, quæ in illa syno-
do ab Apostolis decernuntur, lex quidem de-
vitanda fornicatione est perpetua, cuius etiam
non fuerunt authores Apostoli, sed vindices
dūtaxat: reliqua verò tria, de idolothyti, san-
guine, & suffocato, non obligarūt conscientias
per se, nec partes fuerunt doctrinæ fidei & sa-
lutis, sed ordinata sunt propter unitatis scin-
dendæ periculum. Itaque (quod nunquam fa-
citur erat, si ista per se fuissent necessaria) le-
gē istam Paulus refixit, (Rom. 14. 1. Cor. 10) ces-
sante offendiculi occasione, docēs nihil immū
dū, & idolothyton nihil esse. Itaque ex hac hi-
storia Papistæ inanē prætextū captant ad ligā-
das conscientias. Neque enim potestatē habent
homines, aut ipsi etiā Angeli, ultra Dei verbū
quicquam in salutis doctrina statuendi, etiam
si contrā clamitet & vociferetur rabula Duran-
dus, cum tota colluuiie Papistica. Nos enim ne-
gamus Apostolos quicquam ad verbum Dei
addidisse. nihil enim illis minus in animo fuit
quām

quām perpetuam legem figere qua obstrictos
haberēt fideles, sed adhibere remediū, quo iā-
tis per dum docerentur Gentiles, se ad tempus
accommodearent Iudæis. Hoc autem ex verbo
Dei petitum est, ut quod iubet in rebus mediis
dominetur inter nos charitas, & ad charitatis
regulā nos flectam'. Frustrā quoq; obiicit Du-
rādus Tertulliani veteris Scriptoris testimoniā,
quē vtinā nō iniquē, vt solet, interpretare-
tur. Nā quæ ab eo dicta sunt nō malē, si sanū &
candidū habeant interpretē, mixtura & arti-
ficio fucus fiunt ad ornandas & colorādas im-
pias opiniones, quas ipse hodie, si viueret, non
secus atqué nos execraretur. Irenæum fate-
mur dixisse, nos non per alios habere salutis dis-
positionē quām per Apostolos, qui quod voce
promulgauerūt, scripto postea tradiderūt. Sed
illud semper retinet fundamentum Irenæus,
Scripturā perfectæ & absolutæ sapientiæ scho-
lā esse. Tertullianus de præscriptione veritatis
contra hæreticos scribit, ut eos toties vici os ad
huc tamen contumaces conuinceret, optimū
adminiculum confirmandæ veritaties esse, sic am
constaret ab Apostolis fluxisse: quod nouare-
tur, pro mendacio habendum. Qui licet extra
iustas metas prouehatur, non tamen habet a-

i.ii.

liudicōsiliū n̄ sī vt doctrinæ ē scripturis acceptæ
mordicus stetur. Nobis, inquit, curiositate o-
pus non est post Christum Iesum, nec inquisiti-
one post Euangeliū, neque aliter vult quām ex
ipso Dei verbo de fide disputari aut definiri.
Sic refert Constantiū Theodoretus, quum
synoduni Nicenam coegisset, his verbis allo-
quutum fuisse Episcopos. Extat Apostolici liti-
bri, & Prophetarum sanctiones qui nos erudi-
unt quid de rebus facris sētire debeamus. Au-
gustinus autem nobis disertè indicat quid no-
bis in eare sit obseruandum; Patent inquit li-
bri Dei, non auertamus aspectum: clamat Scri-
ptura, adhibeamus auditum. Et qui plura hic
desiderat, legat D. Caluini responsiones con-
tra Pighium de libero arbitrio.

Caput quartum.

DV M cogor multa prætermittere ne in
immēsum trahatur nostra responsio, in-
cido in dogma nefandum Durādi, in quo satis
ostendit quātopere impietatis suæ merito, in
improbā mentē datus sit, manifesto certe diui-
næ vindictæ exēplo. Neque enim iste sequens
est

est quicquid olim alienum à vera pietatis regula commenti sunt hæretici, sed illorum quoque omnium deliramenta: & his venenis asper sit vniuersum illud suum volumen plus minus duodeuinginti, in hoc vno argumento quod nunc tractare constituimus. Ait enim libro primo, capite 5, & 22, Animas solas ali non posse corpore Christi. Capite 23, Si solæ animæ & nō corpora alerentur corpore & sanguine Christi, imaginaria esset manducatio. Cap. 28, Ali corpora nō animas solas corpore Christi. Nam finis alimenti diuini est, vt manducantem vniat Christo vt capiti membra: aut oporteret Christum solo spiritu manducari, & non ab hominibus. Capite 30, Si animæ solæ alatur Christi carne, eas in carnem mutari oportere, & frustra ad homines manducandi præceptum fuisset directum. Capite 33, Est ergo Christus hominis cibus, non animæ solius. Capite 34, Corpus manducantis, in animam suam transmittit corporis diuini substantiam. Capite 36, Quum beneficium redemptionis hominem respiciat cui peccatum imputatur, corpus hominis non est arcēdū à mādicatione corporis Christi. Cap. 50. Si mādicatione sit opus fidei, impossibile est Apostolos māducasse. Cap. 54, Apostoli sanctifi-

cati & purgati fuerunt in Cœna, redempti in cruce. Libri secundi capite 26, & 27, Animarum nō esse factam mentionem, quum de mandatione carnis præceptum fieret. Capite 35, Si sola anima bibat, hāc solā peccati reā cōstitui debere. Capite 36, Quum corporis sit redēptio, redemptionis cibū ad corpus redemptū speſtare. Libri tertii capite 19, Irenæus docet corpora non animas ali carne & sanguine Domini. Cap. 30, Carnem nutriti corpore Domini, docere Tertullianū. Has dissolutas scopas, & confusum cahos in hunc ordinem digessimus, vt intelligent pii lectors quantum sit virus in homine prophano, qui nō dubitarit summa petulantia tantas & tam absurdas blasphemias euomere. Res autem ita se habet. Quum dicimus solas animas per fidem pasci corpore Christi, siue spirituale esse corporis Christi alimentum, ac proinde à sola anima percipi, non idcirco dicimus ad solam animam redire huius mandationis fructum, siue solas animas vivificari à Christi corpore. Scimus enim fore vt toti siamus in Christo vitæ æternæ participes. Sed ita necessariò loquimur, vt duo doceamus quæ ad huius spiritualis mysterii explicationē maximè pertinent. Vnum, hic non agi de vitali aliquo succo quo vel corpus ipsum in hac vita:

sustentetur, vel anima in hoc corpore retineatur: sed de vigore illo prof' cælesti & spirituali quem suis membris inspirat Christus in vitam æternam, tum animæ tum corporis. Alterum, sicut spiritualis est hic velutis succus, ita etiam non nisi spirituali modo per fidem, ac proinde non nisi à sola anima sumi quod sua uitatum hominem immortalitate perfundit. At bonus iste coquus potius quam Theologus, quū hæc omnia ignoret, & nihil ei præter culinam sapiat, existimat corpora nostra ali & augeri ipso corpore Christi, quod naturaliter dentibus & ore accipiant. Atqui (ut nonnihil etiam cum isto præclaro philosopho de his rebus garriamus) quæcunque corpus nutriunt, prius ab insito calore concoqui & mitificari necesse est, & à potiore natura vinci, elaborari, tandemque in eius quod alitur substantiam transfformari: alioqui nisi à natura vincantur, iam non alimenti, sed medicamenti rationem obtinēt. Rursus, omne alimētū oportet prius esse simile, deinde idem fieri. Ex quibus præter cætera cōfectoriū hoc efficitur: Si corp' Christi est alimētū corporis nostri, in nostrā naturā mutari, suā amittere, nec iam corpus Christi dici posse. Res enim omnes à forma nomina

i.iii.

sortiūtur essentiæ) sed corpus hoc nostrū illud
 esse quod antè corpus Christi fuerat, idque v-
 nicum. Sic sublato corporis Christi nomine,
 corporis nostrinomen & ratio substituitur. Pa-
 nis enim qui corpus alit, corpus efficitur eius
 quod alit, non autem corpus panis, quod omni-
 um est absurdissimum. Sin verò hoc ipsum non
 habet alimenti rationem, itidem *āvēnō* afferre
 non potest. Nam illud prius, hoc posterius est:
 adeo vt si illud antecedēs negatur, & hoc quod
 consequens est necessariò tollatur. An verò te
 non pudet Durande ineptissime, has tuas nu-
 gas & conficta ista portēta sacris Domini my-
 stériis miscere? Christum scilicet credemus in
 Cœna à Durando impiissimo sycophanta ac-
 ceptum, factum esse Durandi corpus, & nutri-
 ri simul & augeri Durandum sacro Christi cor-
 pore. Cui verò unquam diabolo hoc tam impiu-
 um dogma venit in mentem? Euoluantur hæ-
 reses exortæ iam inde à Christo in carne ma-
 nifestato, non solùm eorum qui aliqua habue-
 re controuersa, sed eorum etiam qui ex pro-
 fesso Christum oppugnarunt, Porphyrii, Luci-
 ani, Iuliani apostatæ, & aliorum non dissimili-
 um, apud eos tamen vix reperies dogma impu-
 riū & magis blasphemū. Habet tamē Durādus
 suæ

suæ perditissimæ hæresis authores & fautores,
 atque in primis stolida illa capita, scholæ Pa-
 risiensis magistros, qui huic errori post mul-
 tam crapulam auctoritatem præstiterunt. Est
 interim blasphemus Durādus tutus inter Chri-
 stianos, cui liceat impunè dormiente aut certè
 conniuente magistratu sua somnia & impuras
 hæreses euomere. Capernaita Durandus ro-
 gat, quomodo Christus carnē suam dat ad man-
 ducandum : coctamne an crudam. Si coctam
 (inquit) quónam artificio? Si crudam, quomo-
 do Agnus transitus, Cœnam Domini retulit?
 Et alibi, Quibus (inquit) concessa est caro, ho-
 minibúsne, an parti hominis, corpori? An a-
 nimæ, an potius composito? Non animæ, quū
 anima spiritus sit qui rebus corporeis non ali-
 tur. Cibus ergo corporis est, atque adeò totius
 compositi, cuius pars est anima: & sic per con-
 sequutionem, dum fouet compositum, vtrique
 parti competere potest. Hæc ille. Nos autem
 priore libro docuimus Sacramentum nostræ
 cum Christo coniunctionis constare duabus
 rebus. Vna terrestri, altera cælesti. Elementa
 & symbola esse panē & vinū, quæ à corpore hu-
 mano suis organis suscipiantur: nec tamen da-
 ri vt cibus sint corporis, quod minutulo panis

fragmento & guttula vini ali non possit. Qui corporis alimenta quærerit, domi manducer, inquit Paulus, & Ecclesiam Dei non contemnat. Signa igitur hæc sunt efficacissima veri corporis & sanguinis Christi, adeò ut verè nobis in Cœna corpus Christi detur in cibum, & sanguis in potum, quorum substantia, spiritua liter quidem, sed efficacissimè pascantur animæ nostræ. Quæ quum spiritus sint, non possunt nisi spirituali esu confoueri. Quum autē animæ nostræ vim viuificam ex Christi carne per Spiritum Dei susceperunt, tunc toti vimur Christo, & vnum cum eo efficimur. Nec propterea miscetur nobiscum caro Christi, vt falsos omniat Durandus, ac si detrahatur è cælo, & in nos transeat, & conuertatur in substantiam corporis nostri, vt solet panis alimentum in hoc nostrum corpus. Hoc est enim crassè & culinarum more res mysticas & sacras tractare, & Spiritum Dei ad ventris farturas miserè referre, cælum denique terræ miscere. Quod patinarius iste noster Durandus & Capernaita facit. Quanuis enim lögè à nobis distet corp' Christi sedēs in cælo, tamē modo infirmitati nostræ non satis cognito, sui veri corporis substantia animas nostras, sicut substantia-

cut substātiæ sunt spirituales, spiritualiter pa-
scit. Communicat enim se nobiscum Christus
Spiritus sancti virtute, qui res dissitas non
modò aggregare, sed coadunare potest. Quid
amplius quæris Durande? nempe hæc assequi
non potes fide vacuus, quæ in primis hic no-
bis succurrat oportet. Atque quum induci
non possis ut credas corpus quod non vides,
spirituale esse animæ alimentum, excluderis
ab hac sancta spiritualique doctrina. Tibi igi-
tur sufficientia tua figmenta, nec alios tuo ve-
neno inficias. Quanquam certè paucos adeò
imperitos esse existimamus, ut illis tuis craf-
sis imaginationibus à recto sensu se deduci pa-
tiantur. Quis enim ex tuis Gethis tā est barba-
rus, ut existimet spurcū illū & fœtidū Durandi
corpº, scabie Hispanica ad medullas vsque cor-
rosum, Christi æterni Dei puro & immacula-
to, glorioſo & incorruptibili corpore ali, repa-
rari & ~~dilectio~~ habere? Imo tibi nunquā datū est
ut corpus Christi reciperes, quod spiritualiter
nūquā quæſiuiſti. Nā qui nō manet in Christo,
& in quo nō manet Christus, procul dubio nec
māducat carnē eius, nec bibit sāguinē, licet car-
naliter & visibiliter premat dentibº signū cor-
poris & sanguinis Domini. Affer, si potises,

Durande, os fidei, gustum Spiritus, & tolle sursum oculos mentis, vt symbolis veritas cōungatur, & sic spirituale tibi fiat epulum caro & sanguis Christi. Nemo porrò nostrum mitti corpus Christi dixit vt missus est à Patre Filiº, quod etiam alia ratione ad Spiritum Dei pertinet. Neque cum Manichæis, corpº demittit trahere substantia, aut traducere Dei diximus Spiritum, quasi corporis Christi substantia nostro corpori, aut Dei Spiritus essentia spiritui nostro misceatur. Illa omnia tua sunt, & Satanæ deliria, quibus inescare imperitos & fanaticos tui similes laboras. Nobis certè sunt discernenda quæ spiritus sunt & animæ attributa, ab his quæ sunt corporis, atque adeò quæ totius sunt compositi. Corpus serpit in terris, mentis humanæ agilitas cælum & terram, naturæque arcana perlustrat, omnia complectitur, singula suo ordine digerit, futura ex præteritis colligit, ex quibus satis intelligi potest supra corporis vires aliquid esse in homine quod in corporis ergastulis & claustris lateat. Quis enim organis corporis Deum, Angelos atque adeò animam mentemque suam percipiat? Motu quodam veluti reflexo

reflexo, anima scipit & cōc ipit, intelligit, de se ratiocinatur, in somniis rerum quæ nunquam factæ sunt cogitationes configit, res futuras præfigit, & huius generis pēnè innumera, quæ ad corpus non pertinet. Animæ verò effecta interdum ad totum hominem transferimus, ut vi delicit intelligamus eā esse hominis præcipuā partem. Veluti quum dicimur domos luteas, id est, corpora inhabitare, migrare ex hoc ab ē naculo carnis, exuere quod corruptibile est, ut reportemus quæ gessimus in corpore. At Christus à Petro vocatur Episcopus animarum nostrarū : Paulus ait Pastores reddituros rationē pro animabus nostris: inuocat Deum testem in animam suam. Lazari anima apud Lucam est in sinu Abrahæ: Diuitis animam tormenta tenent. Hinc colligimus alia esse corporis, alia quoque animæ prædicata. Neque oportet animæ attributa ad ipsum quoque corpus pertinere, etiam si toti cōposito concedantur. Propria imaginis Dei sedes est in anima, à qua non ineptè dicitur homo ad Dei imaginem formatus, corpus autem non item. Imaginē enim Dei spiritualē esse oportet. Ineptus est ita que Osíander qui in imagine Dei impie philosophatur, sicut Durādus in Christi corpore. Hic

enim, quum māducatio corporis Christi ad animam solam propriè pertineat, & non nisi ratione excellētioris partis ad totum hominem trahatur, Durandus ē contrario hoc refert ad corpus nimis imperitē & stolidē. Ille verò quū Dei imaginem ad animā referri videat, atque sic ad compositum, tamē, vt stolidus est, ad corpus eam retulit. Sed & ē contrario multa sunt quæ composito attribuuntur, nec animæ tamen conueniunt. Mortalem hominem nemo non dixerit, immortalis tamen anima non negatur. Ex his igitur dico facilē animaduerti quām stolida & īsana sūt istius axiomata. Corpora enim nostra ali non possūt corpore Christi (de huius vitæ alimēto loquor) quia corpus Christi nobis in Cœna spiritualiter datur, & spiritualis vitæ causa, ac proinde à sola anima percipitur hic cibus, quo vnimur cū Christo, Spiritus Dei virtute, dū in Cœna sursum in cælis Christū per fidē quærimus. Spiritus enim Dei ī vnuſ est qui maximē disiuncta, modo nobis incognito aggregare, & vnire vult & potest ex Deiverbo. Nō tamen propterea nostræ animæ, nedum nostro corpori admiscetur corpus Christi, quod integrum & illæsum manet in cælis. Neque interim arcendū est corpus à symbolorum

symbolorum & elementorum mandatione;
sed oportet in Ecclesiæ aceru cu[m] symbolis
veritatem ipsam coniungi, quanvis præceptu[m]
homini datum ut fide ad Sacramentum acce-
dat, animam respiciat, in qua fides est fidei, &
m[an]ducatur i[n] ionis principiu[m]. Cœnam porr[oc] fidei
manducasse Apostolos, verū est, contra quām
Durādus existimat, quæcū[m] perfecta non fuit,
tamen vera extitit. Denique quod ipse tradidit
manducationem corporis Christi non esse fi-
dei opus, ex his quæ à nobis priore libro defini-
nita sunt, satis intelligi potest dogma esse plāne
hæreticum, & ab omnibus catholicis reprobato-
rum. Desinat itaque Durādus imperitus rabu-
la nobis pilos pro lana venditare, & animum
potius habeat in patinis, quām ut sacra hæc
mysteria contamineat.

Caput quintum.

HI quoque, quale sit artificium Duran-
di matæologi, quæso lectores animad-
uertant, qui quicquid olim à veritatis regula a-
lienum commenti sunt hæretici, ab inferis re-
uocat, & de quibus iudicare non potest, vera

sunt autem falsa, et religiosa vel propheta nullus in omni
 insano quodcumque animi futurum nobis ascribitur
 Quid ploras? Sui quoique cerebri signum non
 bis eruditus, & si agit domini sua sub incude quae
 debet esse monstra, ut suum satum opus in im-
 mensis fatus cresoat. Autque adeo enim menti-
 tatione solum a nobis in magnifico illo suo ren-
 gis publicari, sed etiam defensa, quasi vero ipse
 in suo colligo quatuor aliud nonquam in ore habuerit
 quam peritura, blasphemias, minas, & insan-
 mentis delirantem eam in manibus autem aliud
 quam scipiones bellapides quibus in suos sexu
 ebatur. Sunt autem quae nobis impbonit huiusmodi
 lib. i. cap. 84. Personam Christi non esse inuocan-
 dam, ne Christi humanitas in honore diuino af-
 ficiatur, abrogansque nos censuisse preces
 Ecclesiae ad Christum institutas, Calvinum, per
 filium ad Deum nos accedere, dixisse, non per
 infantem Dei Christum. ca. eiusdem lib. 85. dolet
 Durando, in tantum me errorem incidisse qui
 dixerim Christum verbum, in Trinitatis unita-
 te contineri, & hunc adorari in Patre, quum
 Pater Deus adoratur. cap. 86. hoc me dogmate
 donat, Iesum Christum mortuos non iudica-
 turum, sed Patrem in eius persona, neque Fi-
 lium apparitum in iudicio, sed Patrem. Tan-
 dem

dem cap. 87, dum ad meliorē mētem redit, fatetur me dixisse, appariturū Deum in iudicio in Filii persona, quo grauiter se offendit esse testatur, ac multis contendit hæreticum esse dogma. Ex Tertulliano etiam vult hæc vera esse, Per opera Patrem esse in Filio, & Filiū in Patre: & per opera vnum esse Patrem & Filiū. In œconomia præterea Patrem voluisse Filiū in terris haberi, se in cælis. Secundū hæc, Filiū vicarium Patris ostendit, per quem Pater vide- retur in factis, ut agnosceretur in Filio. Quibus omnibus, non quia ad nos pertineant, sed in lectorum gratiam paucis respondebimus.

De inuocatione Christi, & precibus ab Ecclesia ad Christum institutis, ita docem⁹. Quū Pater se se vltrò in Filio suo exhibeat, in quo cælestes thesauros nobis aperit, quemadmodū Paulus secundo ad Colossenses capite asserit, & dilectum Filium Dei tota fides nostra intueatur, in ipso tota nostra spes hæreat & acquiescat, non dubitamus in vnius Domini nostri Iesu Christi nomine quicquid nobis deest, à Patre petere, & ab eo ipso tamen Christo precibus postulare quod in ipso esse didicimus. Nam cum vera fide semper cohæret inuocatio, quonia fidem erigit Spiritus ut audea

Iz.i.

mus vota nostra Deo exponere, excitatque gemitus inenarrabiles, ut audemus clamare cum fiducia Abba Pater, verum interposito mediatore Christo, qui non solum est redemptionis mediator, sed intercessionis quoque. Neque enim temporaria mediatione defunctus est, sed perpetuam illi intercessionem assignat Scriptura. Hic ergo distinctione opus est. Aut enim de Christo cogitamus & loquimur ut mediatore, aut de Christo (ut dixit Augustinus) per se. Siprius, inuocandus est Deus, & idem Pater Domini nostri Iesu Christi per mediatorem Christum quem habemus aduocatum apud Deum, quique sedet ad dexteram Patris. Ille idem est Pastor animarum nostrarum, qui stat pro nobis excubias agens insomnes: qui tentatus per omnia, scit compati infirmitatibus nostris: cuius ductu ad Deum securè accedimus, & ingredimur sanctuarium Dei, licet habitet lucem inaccessibilem. Tali intercessore confisi, nihil quod eius nomine petierimus, nobis denegatum iri credimus. Iubemur hac ratione in nomine Christi inuocare Deum. Haec tenus, inquit Christus (Ioan. cap. 14,) in nomine meo petiuitis nihil. Petite & accipietis. In die illo petetis, & quicquid petieritis, hoc faciam, ut glo-

mister

rificetur Pater in Filio. In Christo enim sūt omnes promissiones, Etiā & Amē, 2. Cor. i. Nullos enim vñquam exauditos fuisse constat nisi Mediatoris gratia, qui cum Patribus primordia suæ mediationis exercebat, sicut testatum reliquit Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 10. Sic in Lege solus sacerdos sanctuarium ingrediēs gestabat in humeris nomina filiorum Israel, populus autem non procul aberat. Qua Legis umbra vno Mediatore illis opus fuisse non solum redēptionis, sed etiam intercessionis ostendit. In summa, quoties Deum in sua maiestate cogitamus, tantæ dignitatis gloria stupescimus, nisi fauore Mediatoris & intercessoris confirmemur. Præcipuum itaque quod à nobis in suo cultu exigit Deus, illud est, ut illum inuocemus, sed mediatore, & nullo alio intercessore quàm Christo. Si secus fiat, requiret, inquit Dauid, Psal. 44, Deus ista à nobis, si man' nostras expendamus ad deum alienum. Nam Deus non nisi ex fide vult inuocari. Fides autē est ex verbo Dei. Ergo simul atque oratio à verbo recedit, adulteratur, & in idolomaniam transit. Sit itaque nobis hic scopus & murus aheneus, Inuocationis honorem ad solum Deum pertinere, qui sua essentia Patrem,

k.ii.

Filiū & Spiritum sanctū comple&tur. Si Christum Iesum mediatorem concipimus, oratio ad Patrē pertinet, intercessore & mediatore Filio. Neque vlla Patri precatio grata esse potest, nisi quam noster Mediator sanctificat. Verū si Christum in se concipimus vt vnicū Deum cum Patre & Spiritu sancto, absque relatione, Christum Iesum maximè inuocandum volum⁹, qui Deus est verus, coëssentialis Patri: quod testatur ipse de se apud Ioannem, capite decimoquarto, quum inquit, Creditis in Deū, & in me credite. Nos, inquit Paulus Gal. 2, in Iesū credimus, vt iustificemur ex fide Iesu. Cecinit autē Isaias capite 26, Quicunque credit in eo, nō pudesceret: & capite vndecimo, Erit radix Iesse qui consurget ad regendos populos, in ipso gentes sperabunt. Item Ioannis sexto, Qui credit in me, habet vitam æternam. Quum autem ex fide pendeat inuocatio, sitque pars cultus Dei, necesse est vt ad Christum quoque referatur. Nam quia inuocatio diuinæ maiestatis propria est, cōuenit sub vna essentia tribus personis, & hypostasi⁹ bus siue subsistentiis. Nec aliud intellexit Iоel quū disertis verbis pronuntiat, cap. 2, Quicūq; inuocauerit nomen Iehouah, saluus erit, qui & Domi-

& Dominus noster Iesus Christus est. Cuius inuocationis exemplum esse in Stephano mihi conuenit cum Durando, quum dixit, Domine Iesu suscipe spiritum meum. Similis est latronis in cruce pendentis oratio, Memento mei dum veneris in regnum tuum: nisi quod hic, Christum exinanitum & humiliatum, ille in gloria splendentem inuocabat: quorum efficacissimæ fuerunt preces & exauditæ. Sed & illud idem testatur Ananias, Domine, scis quanta mala hic intulerit sanctis omnibus qui inuocant nomen tuum. Enim uero quum tota diuinitatis plenitudo in Christo corporaliter inhabitet, (Coloss. 2) quis poterit nisi cum summa blasphemia quod Dei proprium est, id est inuocationem & adorationem Christo eripere? Imo nisi perpetui simus in eo colendo & inuocando, quare de ipsius nomine Christiani dicimus? Certè Paulus (Ephes. 4,) coniungit unitatem Baptismi cum unitate Dei & fidei. Vnus ergo Deus est, Pater, Filius & Spiritus, quem in unitate essentiæ & trinitate personarum, adoramus, colimus & inuocamus sub latis erroribus Arrianorum & Macedonianorum. Nunc cernere tibi licet, Durande, quam rabie excæcatus nobis imponas quod nescis. Quumque te

k. iii.

ipsum cum tuo Possoto non posses ab his re-
tibus & nodis extricare, qui nulla cognitionis
diuinitatis elementa teneas , nesciasque quid
& qua ratione inuocandum & adorandum sit,
nos nullo nostro merito in tuam classem repo-
nas. Sine quæso nos quod facimus , & Patrem
per Filium , & Filium per se inuocare , colere
& adorare . Tibi tua sint somnia , & minores
dii , vt Gentibus . Scimus nos quod colimus ,
quid adores nescis , nec intelligis quatenus &
quomodo id fiat , & interea in Deum & Iesum
Christum execrables blasphemias spiras . At-
enim scilicet periculum est ne per inuocatio-
nem Christi , humanitas Christi diuino honore
afficiatur , quod etiam crimen nobis impingit.
Fatua hæc est stolidi Durādiratiō & calumnia:
in qua satis ostendit quām acer sit diale&ticus
& profundus Theologus . Sed age , Quum dixit
Christus , Priusquā Abraham fieret , ego sum:
quum Paulus primogenitum vocat vniuersæ
creatüræ Christum , qui ante omnia extiterat ,
& per quem omnia consistant : quum dixit se
gloriosum fuisse apud Patrem antequam mun-
dus fieret . An ex his & aliis plurimis locis col-
ligere potes humanitatem Christi præcessisse
Abrahamum

Abrahamum, & fuisse ante constituta mundi fundamenta? Imò hic est tropus quo propter vnitatem personæ multa attribuuntur composite ratione diuinitatis, quæ ad humanitatem per se non pertinent. Sic quum Christum adorandum, inuocandum & colendum dicimus, quis præter fatuum Durandum argutus dialecticus diceret, ideo humanitatem adorari & inuocari? Quid si dixerimus aliqua esse Christi attributa quæ illi nec diuinitatis nec humanitatis ratione seorsim conueniāt, sed utriusque simul? Hac enim præstantia decoratus est, quū manifestatus fuit Deus in carne Filius Dei, quod mortuis & viuis præfect⁹ fuerit Iudex ad suscitādos quos velit: quod sit lux mundi, Pastor bonus, vitis, ostium, quæ et si ante mundum conditum vna cum Patre obtinebat, non tamen eodem modo & respectu obtinebat, nec ista quoque simplici homini dari poterant. Sed surdo Durando fabulam canimus, vt qui nihil eorum intelligat. Queritur grauiter Durandus; neque satis ferre potest quod nos puerum Christum dixerimus, quem Mediorem nobis Deus cōstituerit. Legim⁹ autē apud Matthæū cap. 2, nato Iesu in Beth-leē in diebus

k.iii.

Herodis regis Magos venisse ab Oriente, ut natum infantem adorarent, interrogasse Herodem de puerō, & stellam stetisse ubi puer erat. Magos inuenisse puerum cum Maria matre, eūmque adorasse oblatis thesauris: Angelum autem monuisse Ioseph ut accepto puerō fugeret in AEgyptum. Postea rursus accepto puerō rediisse in terram Israel defunctis illis qui quarebāt animā pueri. Luc. c.2, Matthæo consentit, Puer (inquit) crescebat, & corroborabatur spiritu. Sed addit Christum in media pueritia dedisse specimen futuræ functionis, quum vna cum ætate animi dotes crescerent: qui profectus & incrementa ad humanam naturam referuntur. Non enim quicquā addi potest diuinitati. Verū si nihil derogat gloriæ Christi quod prorsus exinanitus fuerit: neque alienum putari debet, quod sicut adolescere corpore, ita & nobis proficere voluerit, cuius anima in illis cunabulis subiecta fuerit ignorantiae. Ergo pro ætatis ratione secundum humanam naturam Spiritus donis auctus est, ut ex sua plenitudine in nos illa deriuaret. Dicit autem apertè Lucas puerum profecisse sapientia & ætate apud Deum & apud homines. Neque est quod tergiuer-

tergiuersetur Durandus, quæ latuerat, intelligentiam apparuisse progressu annorum. Etsi enim, quatenus est Deus, omnia lustrauerit & gubernauerit sua prouidentia, tamen in vnione hypostatica Dei & hominis, non fuit humanæ naturæ datum quicquid proprium diuinitatis erat, sed quatenus salutis nostræ interfuit quasi occultam deitatis suæ potentiam tenuit Filius Dei, ut suo tempore emerget. Ne queratur ergo Durandus nos pro corporis conditione, infans & puerum Iesum vocasse. Vocauit etiam Propheta, quum ait puerum nobis & natum & datum esse. Atque iam tum quum puer esset & infans & in virginis vtero clauderetur, cœpit officia Mediatoris exercere. Incipiebat enim in se transfigere poenarum quas eramus promeriti partem: postea tamen cum ætate magnificè gloriam cœlestis Patris quæsiuit & asseruit, & tandem gloriosam illam confessionem corā Pōtio Pilato professus est in nostram omnium salutem. Hæc est nostra professio quam nos Spiritus Dei docuit. Hanc mordeat & rodat si possit Durandus, & omnes spiritus tenebrarum, qui tamen si solo niterentur Durando, statim

actum esset de regno Satanæ: sed habet ille alios prophetas quibus sua venena largius suppeditat. De Verbo in Trinitatis unitate contento, & in Patre adorando, & quod Deus in persona Filii mundū sit iudicaturus, nemini mirum esse debet, si hæc Durandus inter absurdā collocet: sic enim asinus lactucas solet, sic etiā vinum canes. Quæquām vera sint, & Christiano pectore digna, in lectorum gratiam ostendamus, etiam si fratrat & insaniat Durandus hæreticus & Sacrarum literarum osor & ignarus. Deus sic unicus est, ut se distinctè in tribus personis considerandum proponat: quas nisi teneamus, nudum & inane Dei nomen, sine verbo Dei nobis fīngimus. Neque tamen ea distinctione laceratur simplex Dei essentia. Nam Pater, quanvis sua proprietate distinctus sit, se tamen totum in Filio expressit, & in eo suam hypostasin reddidit conspicuā, ut sit Filius splendor gloriae Dei Patris. Est tamen Filio sua hypostasis, quæ eum à Patre distinguat. Eadem ratio in Spiritu sancto. Quæ tamen distinctio non est essentiæ, quæ multiplex esse non potest. Hac regula

nobis cogitandum & loquendum de Deo est. Exotica omnia quæ curiosè suo more cogitat Durandus extra Dei verbum, & superstitionē defendit, ad contentionē magis valent quam ad ædificationem. Ex tribus personis unaquæque ad alias relata, proprietate distinguitur. Dei autem nomen, ubi simplex fit eius mentio, ad tres personas refertur, sed quicquid personis proprium est, id incommutabile est. Eam autem personarum distinctionem Scripturæ tradiderunt, ut Patri principium agendi, fons & scaturigo rerum omnium tribuatur: Filio Sapientia, cō filium, & dispensatio. Spiritui sancto virtus & efficacia actionis. Quæ ordinis observatione tenenda est. Qua ratione à Patre genitus est Filius, & ab utroque procedit Spiritus sanctus. Idem Spiritus nunc Patris nunc Filii Spiritus dicitur. Patris tamen æternitas, Filii & Spiritus sancti æternitas est, in qua non est querendum prius aut posterius. Est enim Pater & Filius unus Deus, quia uno Spiritu cōstat. Neque Spiritus ab illis diuersus est, quia Patris & Filii Spiritus est. Nā in unaquaq; hypostasi tota intelligitur natura: vnicuique

tamen sua subest proprietas. Pater totus est in Filio, Filius totus in Patre. Ego, inquit (Ioh. cap. 14) in Patre & Pater in me est: nec una est essentiæ differentia. His Augustinus consentit, Christus ad se, Deus dicitur: ad Patrem, Filius. Sic Pater ad se, Deus dicitur: ad Filium, Pater. Quod dicitur ad Filium Pater, non est Filius: quod dicitur Filius ad Patrem, non est Pater: quod dicitur ad se Pater, & Filius ad se, est idem Deus. Ergo quum de Filio sine Patris respectu simpliciter loquimur, bene & propriè ipsum esse à se asserimus, & sic unicum vocamus principium. Quum vero relationem quæ ipsius cum Patre est, notamus, Patrem Filii principium meritò facimus. Quoties autem Deum simpliciter dicimus, intelligimus unicam & simplicem essentiam, in qua tres personæ comprehenduntur. Vbi autem adiungitur Filius Patri, tunc in medium venit relatio, & personarum distinctio & ordo, ut in Patre principium sit & origo, quod ex Filii & Spiritus deitate nihil minuit. Nam sacrilegium esset dicere, Filium esse aliū à Patre Deum, quia simplex Dei nomen relationem non admittit.

Atque

Atque ubi indefinitè nomen Dei ponitur in Scripturis, non ad solum Patrem pertinet, sed singulas alias personas in diuinitate denotat, quæ unam simplicemque diuinitatem constituant. Itaque Pater indefinite est ingenitus, & Pater etiam personæ respectu deitas ex seipsa est, & personæ principium est ipse Deus. Hæc sunt fundamenta scholæ diuinitatis, unitatis & trinitatis, quæ si cognouisset Durandus, in rebus claris & perspicuis non hæsitasset: sed quū vir sit inconsideratissimæ ac dementissimæ temeritatis, quid mirū sitam effræni audacia in cælestes adytus perrupēs, in ipsa luce cæcutiat? Sic dicimus Verbum in unitate Trinitatis essentialiter contineri, in Patre Filium adorandum. Item, In Deo ites personas adorandas & colendas. Quod autem dicimus Deum in persona Filii mundum iudicaturū, perinde est ac si dicamus Personam Filii Patri coessentialē & Spiritui Sancto, mundum iudicaturam. Non est enim essentia Filii absque essentia Patris, ut supra dictum est. Aliud est enim dicere Deum, aliud Patrem, Patrisque personam, ut suus respectus & ordo ubique seruetur. Atque utinam Durandus tati mysterii nescius, parcius de illis tractaret,

aut saltē ex Scripturis loqueretur, & cogitat̄ ret quōd Apostolus Hebræis scribens, cap. i., Deum loquitum in Filio dixit, quum tamen persona Patris in carnē manifestata, non sit loquuta. Sic Deus in Filio mundum iudicabit. Vt unque enim est Mediatoris officium. Audit tamen blasphemus, mendaxque Durandus hæc à fide prorsus aliena dicere, quæ tamen à fontibus Scripturæ prodeunt. Negat Patrem in persona Filii mortuos fuscitaturum, neque Patrem in persona Filii, quos vult Filius vivificaturum: nec videt essentialiter Patrem & Filium vñū esse, tanū personis & proprietatibus distingui. Nescit præterea Mediatoris officiū inter Deum & hominem esse, hācque ratione Filiū, vt Mediator est, à Patre accepisse vt iudicet, vt fuscit, & vivificet. Sic ergo agit diuinitas illa vna essentialis Patris & Filii, qui simili usque modo operātur in Filio, officio quidem minore, vt sic dicatur in Filii persona Patrem agere, à quo mā datum accepit. Quum enim ianuam Euangeliō aperiret Christus, docet quē admodum vitani conferat. Omnes enim missus à Patre inuenit mortuos. Oportuit ergo vt à resurrectione initium faceret, & vitam daret cui vult, electis scilicet quos hāc gratia dignatur.

gnatur. Atque ut clarius ostēdat quomodo Pater in persona Filii mundum gubernat, ac eius manu Imperium (est enim Iudicare, Imperium exercere, phrasī linguae Hebræe) verbo Iudicādi vtitur. Non enim Pater iudicat quenquā, sed omne iudicium dedit Filio, quod scilicet traditum sit Christo regnum à Patre, ut arbitratu suo cælum & terram moderetur. Sed ne hæc videatur quædam Imperii & dominatus resignatio, intelligendum est hoc non tam dici Dei quām hominū respectu. Nam in Patre nihil est mutatum, dum Christum constituit suum Regem, cæli terræque dominū. Est enim ipse in Filio, & in eo operatur. Sed quia dū volum⁹ ad cælum ascendere, sensus omnes nostri deficiūt, ponitur nobis ante oculos Christus, tanquam cōspicua Dei inuisibilis imago. Deus se nobis propinquum in persona Christi Filii sui ostendit, apud quē deposita est omnis facultas, & in eius facie Deus Pater nobis apparet, ne tanto maiestatis fulgore absorbeamur. Regnat itaque (velit nolit Durandus) Pater in persona Filii, non quasi translatā vicaria potestate quiescat in cælo, sedquia in Christo potētiam suam declarat, sed tanti per donec rursus imperiū Patri Filii restituit, post primum vice-

rit suos hostes, & eos posuerit velut scabellum pedum suorum. Atque ita videm⁹ ut Pater quærendus in Filio, ubi suam potentiam intuemur & agnoscimus. Blasphemat Durandus, quum à vero germanoque Spiritus Dei sensu hæc transferens ad finale iudicium, neque alium modum suscitationis & viuificationis mortuorum intelligens quam quum resumptis corporibus iudicio sistent, consecutiones infert horrendas, quas diabolico spiritu euomit. Si Pater (inquit) in persona Fili apparet, ergo esset Persona nō Filii, aut personarum confusio esset. Sine distinctione ergo Filius non est imago Patris, Filius nō est qui sedet ad dextrā Patris, aut Pater sibi ad suam dextram assidet in persona Filii. Neque Filius missus esset, sed Pater in persona Filii. Hæc sunt deliria iandundum gladio repressa. Quibus (etiam si Christianæ aures sine horrore non sustineant) breuiquam diximus distinctione responsum est. Neque nobis minus arridet Pauli authoritas, quam Durando displiceat, quum inquit, Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, nō imputando illis sua ipsorum peccata. Nam erat Pater in Filio. Itaque qui habet Filiū, simul habet & Patrem. Discamus hinc, Christo uno esse

esse contenti, quia in ipso reperiemus etiam Deum Patrē. Qui quum procul à nobis esset, ad nos in Christo accessit, atque ita Christus factus est nobis verus Immanuel, eiūsque adventus, appropinquatio Dei ad homines. Cætera & ludicra & in Deum perfida (vt tandem huic quæstioni finis fiat) taceo. Et vt aliquādo importunam hominis imperiti audaciam retūdamus, discat nunc Durandus, quam suis notis castigat, esse ex Luca phrasin Spiritus Sācti, qui per Paulum sic loquitus est, dum ageret cum Atheniensibus Paulus in Areopago: Etiēpora, inquit, huius ignorantiae despiciens Deus, nūc annūtiat hominibus, vt omnes vbiique pœnitentiā agāt, eo quòd statuit diē in quo iudicatur⁹ est orbē in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Iudicaturus est itaque Deus orbem terrarum per virum quem definiuit. Cæterūm, quia nihil magis remotum à communi hominū sensu, quām Deum iudicaturū orbem in hominis persona, subiicit Paulus, hāc Christi dignitatē, quæ difficilis esset creditu, resurrectione eius fuisse approbatam. Ideò Paulus disertè admonet, Christum sua resurrectione ostensum fuisse mundi Iudicem, & patefactum fuisse homi-

l.i.

nū oculis quod Deus ante iacta mundi funda-
menta apud se de illo decreuerat. Videat nunc
Durandus, si oculos habet, cur verba Spiritus
Sancti detrahet, & imponere cupiat legem
Deo, ut ad ipsius fatuum sensum verba sua com-
ponat. Stultū profectò, imò audax nimis & im-
piū facinus est, ad suæ rationis vel potius phan-
tasiae calculum reuocare Spiritus Dei dicta &
opera. Sic enim habet Lucas sua lingua, Διότι
ἔσθιεν ἡμεῖς εὐρὺν ἐν τῷ μηνὶ κρίσεων τὸν οἰκουλόντος στρατούν, ἐν ἀρδεὶ ἐπέρ-
ατ, πάσῃ ὁδῷ γέγονεν πᾶσην αὐλασθεῖσαν αὐτὸν εἰς τοῦτον. Nōne istud est,
Deū in sui Filii hominis Iesu Christi persona
iudicaturum orbem? Arguēsne mendacii Dei
Spiritū, àperitis verbis ea pronuntiantem quæ
tuo ore fœrido despicias & improbas? Quid
tibi, quæso, volunt hæc verba, οὐδὲ πίστευετε? Non-
ne, In viri persona quem constituit & defini-
uit? Quibus verbis manifestè definit Lucas
ex Paulo, per quem Deus orbem iudicatu-
rus sit, per virum scilicet quem præfiniuit.
Ità vero Christum nominat, propter eam
quam assumpserat humanam naturam (mi-
tiori vocabulo uti volens apud incredulos)
ut sensim ad explicanda Christi mysteria
descendat. Sed neque caret emphasi atque
vehem-

vehementi energia quo ad nostram eruditio-
nem instruxit nos Dei Spiritus, Deum vniuer-
sum orbem iudicaturum per Filium suum, quē
in sua humanitate constituit Iudicē. Id enim
piōrum consolationi mirificē cōuenit, quan-
do Deum in humana quam Christus induit
persona Iudicem venturū audiunt, quem ipsi
Saluatorem & Pontificē suum esse norunt. In-
de enim colligunt, illum ipsis non Iudicem, sed
vindicem potius fore (sicuti Iob, cap. 19, nomi-
nat) à quo nullā metuunt damnationē, quem
pro peccatorum emundatione in cruce immo-
latum credunt. Rursū hoc impiis magno terro-
ri est, quando Iudicem venturū cogitant, quē
impiē contempserunt. Videbunt enim (inquit
Zacharias cap. 12) in quem pupugerunt, & quē
confixerunt: & erit planctus sicut Adadrem-
mon in campo Mageddon. Ecce quām mirifi-
cis thesauris nos instruit Deus, vt intelliga-
mus omnes, quantū sit ex re nostra, æterno Dei
decreto constitutum esse, vt vniuersum orbem
iudicaturus sit Deus in persona Filii sui. Quod
in lectorum gratiam dictum sit. Nam vt non
caret Dei iudicio, quod ad tātū lumē oculos ape-
rire nō possit Durādus impostor: sic neque nos
frustrahuius alini caput lauare cupimus nitro.

l.ii.

Caput Sextum.

NO N satis visum est Durando tot impietatum monstris sanctā Domini mensam cōspurcassem, nisi etiam ineffabile incarnationis Filii Dei mysteriū suis mendaciis & prophanis errorib' fœdaret. Lib.1.cap. 68,& lib.3. cap.51, dum Mariam sanctā immaculatāmque Virginem, nō sola fide, qua promissiones Dei à Gabriele prædictas amplexata est, Filiū Dei Iesum Christum concepisse dicit, sed effusis prolatisque ab Angelo conceptis verbis, ut sacerdoti numeratis vocibus in Cœna corpus Christi efficere concessū esse putat. Ideoque testatur eximus Theologus Durandus, incarnationis mysterium inter Sacra-menta reponi, ignorās quid sit, quid ve dicatur Sacra-mentum, nisi quod cælum terræ miscet, & omnia confundit. Vult præterea panis natu-ram in Cœna, non in corpus Christi, sed in ipsam diuinā essentiam conuerti. Horrenda sa-nè omnia diaboli portenta, quibus nobis nunc est respondendum. Quod Sermo ante secu-la ex Deo genitus, & qui semper apud Patrem resideret,

residet, manifestatus est in carne, ineffabile est arcanum. Non quod in carnem versus sit, vel carni confusè permixtus, sed quia ex virginis Mariæ utero tēplum sibi delegit in quo habitaret, & qui Filius erat Dei, filius hominis factus est, nō confusionē substantiæ, sed unitate personæ. Vtrique enim naturæ solida manet proprietas, & ex illis duabus unus Christus constituitur. Hæc duo sunt fidei nostræ funda menta, quibus veluti firmis anchoris inter fluctus stabilitur. Prius, sic in unā personam duas in Christo coaluisse naturas, ut unus idemque Christus Deus sit & homo. Alterū, unitatē nō impedire quin distinctæ naturæ maneant. Quæ quū iam olim variis deliriis conatus sit Satan frustrà infirmare per Nestoriū, Eutychē, Marcionem atque alios veteres, nuper per Seruetum & Anabaptistas, hodie hoc ipsum molitur non clanculū & fucatè quod ab aliis factum est, sed aperto marte per fatuum & phreneticum Durandum, euanidis & nullo colore, nulla Scriptura, nulla maiorum autoritate fultis rationibus, vbi tot videoas hæreses quot sunt sententiæ. Primū, panem in Cœna consecrari pro intentione sacerdotis, & nō verbo fidei, falsum esse docuimus, exemplo Baptismi, qui

I.iii.

illi tantum sacramentum esse potest cui fide applicatur. Quod si in suscipiente adulto desit fides, aut in parentibus infantum, illis Sacramentum non est. Scriptura enim sacra de iis qui lauacro tinguntur aperiè dicit, quod veterem hominem deponut, quod rursus generantur. Id autem quifiet sine fide suscipientis? In quo gra uiter hæsitasse Nicodemum certum est. Neque est quod dubitemus regenerationem spiritualē eodem spiritu fieri apud cōuias mensae Domini, qui absque fide ritē accedere non possunt. Qui si fecerunt, licet illis offeratur corpus & sanguis Domini, ab illis tamen fide vacuis non suscipitur, sed nuda tanum & inania symbola. Nos autem solemus libenter hæc Baptismi & Cœnæ sacramenta cōiungere. Sic enim Paulus Corinthios docens cōiunxit: Nos, inquit, omnes per unum Spiritum in unum corpus baptisati sumus, & omnes in unum Spiritum potati. Quod si absque fide corpus Christi in Cœna suscipimus, ergo absque fide in nobis manet Christus, & Christo unimur, & unum cū ipso efficimur: sicque Satanæ membra Christo per Spiritum Deico pulantur, & erit cōmunicatio Christi cum Belial, & participabimus membris Domini simul & membris dæmoniorum. Quod quis sanus admittere

Quor-

Quorsum itaque probatio quā exigit Paulus,
 vt ad Domini præscriptū de illo pane edamus
 ne iudiciū nobis māducem⁹? Ea autē quū mul-
 tis rationibus priore Libro tractata sint, hæc
 paucula attigisse satis sit. Quod autē addis Du-
 rande, Mariā verbis ab Angelo pronūtiatis cō-
 cepisse: & sicut in iis qui Sacramēta accipiunt,
 nō requiritur fides vt panis sit corpus Christi,
 sic Mariæ, vt Christū cōciperet, nō fuisse neces-
 sariam fidē, ex quo tandem fonte hausisti? Ais
 veròtu suffecisse prolatum ab Angelo verbū?
 Quaratione? quo authore? Atqui, verbū eū lo-
 cū, inquis, obtinere debet in vtero, quē habet
 in Eucharistia. in eo quū tibi nō acquiescamus,
 quis tibi probationis modus? Sacramētum, in-
 quis, Sacramēto respondere debet. Quid si re-
 spondeā, verum id non esse absque exceptione,
 quum in quibusdam alia sit Baptismi, alia Cœ-
 næ ratio? Quis autem te docuit incarnationem
 Christi Sacramētū esse? Vbi externa illa sym-
 bola & elementa? vbi rei sacræ signum? Estne
 tibi Christus ipse in carne manifestatus exter-
 num aliquod & visibile signum rei sacræ & in-
 uisibilis? An verò potius tātū salutis nostræ my-
 steriū pro externo signo habes sicut in sacramē-

1.iii.

J. A. W.

tis, aquam, panem & vinū? Sic tibi Filius Dei
æternus, Sapientia illa Patris sempiterna, tibi
est elementum, symbolum, & minus quiddam
quam Iudæis. Verū, ne dubita, erit tibi in scā-
dalum & ruinam. Neque nos ignoramus vete-
reni interpretem, quoties Græcā vocem ^{μυστήρια}
reperit, ferè reddidisse Sacramentum, præser-
tim vbi de diuinis agitur. Sic conuertit locum
ex epistola ad Ephesios, Ut notum nobis face-
ret sacramētum voluntatis suæ. Et alibi, Quo-
niam secundum reuelationem notum mihi fa-
ctum est sacramētum. Et ad Colossenses, My-
sterium quod absconditum fuit à seculis & ge-
nerationibus, nunc autem manifestatum est sā
etis eius, quibus voluit Dominus notas facere
diuitias sacramenti huius. Item, ad Timothe-
um, Magnum pietatis sacramentum, Deus ma-
nifestatus in carne. In quibūs omnibus locis
Sacramentum posuit pro sacro arcano. Tu ve-
rò Durande, longè omniū ineptissime, dū Cœ-
nam confers cum incarnationis arcano, vt Sa-
cramentū respondeat Sacramento, quid aliud
quam diuersa tanquā prorsus similia cōfundis?
Quis porrō te eo dementiæ impulit, vt ore pro-
fano & impio diceres, beatā illā & immacula-
tā Virginem, absque fide, atque ita in peccato,
etiam.

etiam si Angeli verbis pertinaciter fuisset diffisa
Verbū illud salutiferū cōcepisse? Quō te is per-
ditū, miser, cū tuo Sophista Possito? Cur etiā
nō addis ex thesauris Sorbonæ, Christū carnē
asini aut cucurbitæ suppositare potuisse? Sic
enim rudunt onagri illi indomiti. At potius
oportuerat te ex sacris didicisse quid loquutus
sit Spiritus Sanctus per os Elizabeth. Beata
(inquit illa) quæ credidit, quoniā perficientur
in ea quæ dicta sunt ei à Domino. Loquitam
Elizabeth Spiritus impulsu quis non credat?
Laudatur ergo Mariæ fides, quæ locum dedit
promissionibus diuinis sibi ab Angelo nūtia-
tis, quas dū corde cōpletebitur, toti mūdo salu-
tem concepit & peperit. Sic per fidem Mariæ
impleta sunt ei omnia quæ illi dicta sūt ab An-
gelo, vt per eius fidem cōprehensa, suū effectū
obtineāt. Ideò testatur Scriptura promissiones
Dei electis esse per fidē efficaces in salutē. Ob-
tulit quidē Deus per Angelū Mariæ sua pro-
missa, fides autem Mariæ sinū ad promissa recipienda expandit. Sic tērque quatérque fœlicē
Mariam pronūtiarūt pronūtiabūntque omnia
secula, nec sat is vnquā laudatā, quæ oblatā sibi
benedictionē fide recepit, Deoque viam pate-
fecit ad complendū opus suum, sicut solet in-
credulitas ianuam claudere promissis Dei, ma-

númque eius ab opere arcere . Ecce,inquit,ancilla Domini, fiat mihi iuxta sermonem tuum. Quibus verbisviua constantíque fide Angelo annuit , séque totam obtulit Deo & addixit, qua ille iure suo liberè vtatur . Mariæ igitur fidēs eam Deo gratam & morigeram ancillam reddidit. Sic docet Apostolus(Hebr ii.)sterile Saram ex effœto & penè emortuo Abrahā per fidē concepisse. Vides impie & blasphemē Durande,quod negas in beata Virgine,Apostolū Saræ concessisse? Dicam ergo cum Bernardo, beatam Virginem tuis falsis laudibus non egerē: satis enim Dei beneficio habet verarum lraudum,neque tuis mēdaciis & blasphemias ab ea quicquam quod verum est, decidet. Beatam enim illam omnes constituunt, non simpliciter quòd mater sit Seruatoris, sed quia credidit,cōfirmante Christo, Beati qui audiunt & credūt. Nam qui fide voluntatem Dei sectātur , ii sunt mater & soror & frater Christi. Fide itaque cōcepit secundum verbum Domini Maria,& peperit Christū Dominū,nō ipsa virtute verborū ab Angelo prolatōrum, etiam si crepet mēdax blasphemusq; Durandus, & Possotus qui vicarias operas Durādo præstat. Quòd autē imputat Cypriano panis naturā in diuinā substātiā conuer-

cōuerti, id somniat homo valdē argutus, cui solenne est Scriptores quos nunquam inspexit, citare audacissimē. In quo liberaliter sibi indulget audax nebulo. In Sacramēto, inquit, visibili, diuina se infundit essentia, adeo ut panis natura in diuinam essentiam & substaniam conuertatur. Sic verbum ab Angelo prolatum incarnationē operatū est: sic etiam consecratio- nē verbū à sacerdote inuocatū operatur. Hæc quū probatione aut Scripturæ testimonio maximè indigeret, fatetur humano ingenio se tātum miraculum non posse consequi. Velim autem nobis in primis illud dixerit, Sítne hoc corpus factitium essentia substantiāque diuina, an simplex spiritus. Animum enim esse simplicissimum ne ipsi quidem impuri spiritus negarint. Corpus autē hoc si corporeū esse vult, tamen infinitum simul esse oportuerit, quod cælum terrāmque repleat & occupet. In animum autem spiritūmque corpora conuerti nemo haec tenus dixit præter Durandū istum eximium Theologum. Quod siverum est, corpus illud panis, in diuinam naturam esse versum, æternum est illud, quoniam diuinæ naturæ essentia tempore non eget, & tamen verbis putidi sacrificuli cōfēctū fuerit in tempore: quo fit

vt quod p se æternū est , cœperit esse in tēpore .
Sed protectō lōgē parcius homini Christiano
& loquendū & cogitandū fuerat de Deo diui-
nāque essentia , quem ad suas stultas imagina-
tiones trahere , impium nimis & prophanum
est . Audi igitur ex Augustino quomodo di-
uinam mentem cōsequi possis . Sic diuinā essē-
tiā aut substantiā quam Græci ~~in~~ dixerunt , si
potes apprehende , vt sit Deus sine qualitate ,
bonum : sine quantitate , magnum : sine intelli-
gētia , creator : sine situ , præfēs : sine habitu , om-
nia cōtinens : sine loco , vbique totus : sine tēpo-
re , sēpiterus : sine vlla sui mutatione , mutabi-
lia faciens , nihilque patiēs . Sic piē cauebis ali-
quid de Deo sentire quod non sit . Piæterea ex
eodē Augustino cōstans fixūmque esse debet ,
quòd quicquid absolute de Deo dicitur , de sin-
gulis personis singulariter prædicetur , atq; a-
deō vt Pater Deus sit , ità Filius , ità Spiritus san-
ctus : quod secundum essentiā dici nemo dubi-
bitat . Quū itaque stulta cōfictaque metamor-
phosi , & trāselementatione Durādi illic erit Pa-
ter , illic Filius , illic Spiritus Sanctus , & panis
ille fiet tota Trinitas in essentia , vt in ea singu-
lares hypostases conueniant . Manducat itaque
Durādus Trinitatē totam , neque helluoni suf-
ficit dentibus Christum attruiisse , nisi Patrem

& Spiritum sanctum manducet. His de rebus summis quum tractat Augustinus, suæ conditionis memor, contendit à Lectoribus (vt erat pius sanctusque doctor) vt ignoscatur sibi, quod in rebus arduis magis voluerit quam potuerit loqui: sicut illi signoscit qui propter ingenii sui tarditatē hæc nō intelligunt. Hic enim est pietate & submissione contendendum, non virium arrogantia & animi petulātia. Nam quo intellectu capiet humanā essentiā homo, qui ipsū intellectū suū quo eum vult capere, non capit? Situs, loca, tempora, nō propriè, sed translate & per similitudinem dicuntur in Deo, vt sedere super Cherubim, & abyssū esse amictū aut vestimentū eius. Panē autē pistū aut azymū in esse tiam diuinā conuerti, etiā si hæreticos omnes à tartaris reuoces, haec tenus dixit nemo. Durandum autē vt immūdū suē, neque terret Dei im mēritas, quin eū suo stulto fēsu metiatur, & de simplici illa ac spirituali natura carnale quidā & terrenū somniet. Cæterū plura de his rebus colligere potest pius lector ex Augustino, toto libro quinto & sexto de Trinitate. Profectò, vt semel dicam quod sentio, horreo totus quum ad tantas hæreses expurgandas de-

scendo. Tot enim nefandas *πειθογίας* nunquam debellauit vnum seculum.

Caput Septimum.

TI A M si sint huiusmodi tua portenta Durāde, vt nullo contra pugnante vltro infumum abitura sint, nolui tamen hanc quoque blasphemiam post tot alias quas nostra respōsione cōfutauimus, absque digna reprehēsionis nota prætermittere, vt non solum à tuis languidis frigidisque scriptis, & omni impietate refertis abstineant lectores, sed à te quoque ipso caueant omnes, tanquam à præfacto hæretico & homine perditō, quod ex sola lectio- ne spinosarum erraticarūmque tuarum disputationum intelligent omnes, vt potè quæ nihil aliud quam merum virus & aconitum spirent. Pergit ergò fanaticus sycophanta libro secundo capite 53, 54, & 55, suas euomere blasphemias. Ex quibus istas quoque collegimus.

1. Carnē quam Christus assumpsit ex Virginis vtero, diuinam fuisse.
2. Christum à suæ cōceptionis exordio fuisse immortalē, nec mortuū necessitate

necessitate naturæ. 3. Verbū in Virginis vtero
successisse loco seminis viri, vt Virginis coa-
gulum in Christū formaretur. Quibus sacrile-
giis & blasphemias, agè, paucis respondeamus.
Paulus 1. Timoth. 2, Christum proponere vo-
lens mediatorē, Vnus, inquit, mediator Dei &
hominū, homo Iesus Christus. Poterat Deum
dicere, aut simpliciter Christum, sed hominem
dixit, vt illum carnem esse nostram intellige-
remus. Non enim est Pontifex qui compati
non possit infirmitatibus nostris, quum fuerit
more nostro tentatus per omnia, excepta vna
peccati conditione. Naturalis enim Dei Filius
sibi corpus de corpore nostro, carnem ex car-
ne nostra, ossa ex ossibus nostris aptauit. At-
que vt idem nobiscum esset, quod nobis pro-
prium erat, suscepit: quo fit vt communiter
nobiscū Filius Dei sit, & filius hominis, sanctā
illam nobiscum fraternitatem suscipiens. A-
scendo, inquit (Ioan. cap. 20) ad Patrē meum
& Patrem vestrum, Deum meum & Deum
vestrum. Necesse autem fuit ex illius æterni
decreti virtute, vt Dei Filius conditionem
nostrā miseratus, suam obediētiām opponeret
Dei iudicio, cui satisfaciēs, pœnas peccati per-
folueret. Sic verus homo Christus naturalem

hominis personam induit, qualis erat hominū tunc omniū conditio, & veritatem naturæ nostræ simûlque nomen assumpsit, vt carnem nostram in satisfactionis premium coram iusto Dei iudicio sisteret, ac in eadem carne pœnam quam meriti eramus, persolueret, morte vide-licet, quam nec solus Deus sentire, nec solus homo superare posset. Humanam igitur natu-rācum diuina sic sociauit, vt alterius imbecil-litatem morti, cui obnoxia erat, subiiceret, al-terius virtute luctam cum morte fusciperet, & nobis victoriam acquireret. Qui verò carnem Christi suaptenatura diuinam & immortalem faciunt, sua humanitate Christū spoliāt, & Dei bonitatem obscurant. Qui factus est (inquit Paulus Rom.1) ex semine Dauid secundū car-nem. Sperandus enim erat redēptor, Abrahæ Dauidisque filius, in Lege & Prophetis pro-missus, cuius origo secundum carnē ad Abra-ham Dauidémque producitur. Communis er-gò quam nobiscum habuit natura, pignus est nostræ cum Filio Dei societatis, qui carne no-stra mortali vestitus, mortem, peccatum & ini-micas potestates tum penitus debellauit, quū carnē quam acceperat à nobis, in sacrificiū de-dit. Vestitus enim est carne ex æterno Dei de-creto,

creto, vt nobis fieret sua morte redēptor. A E-
terno, inquam, Dei Patris cōsilio factus est ho-
mo, & homo mortalis, vt mortem quidē gusta-
ret, non tamē eo finevt videret corruptionem.
Talis fuit sub Lege proposita illius imago in sa-
crificiis, qui suo sanguine & morte peccata pur-
garet, vt qui non alia lege nostram carnem assū-
pserit, quām vt illam pro nostra salute daret in
mortem & sacrificium. Neque enim vnquā pro-
missus fuit mediator absque sanguine: quod e-
tiam ante Legē intellexerunt Patres. Sic æter-
no Dei consilio, purgandis hominum fordibus
destinatus fuit Christus, idque non sine sangu-
ine & morte. Piaculi enim signum est, sanguinē
fundi. Quod prædixit Isaias, quū diceret, per-
cutiendum esse Dei manu propter scelera po-
puli, vt castigatio pacis esset super eum: & sacer-
dotem fore quise victimā offerret, ex cuius pla-
gi esset aliis sanitas. Sic Deum testatur Paulus
misisse Filiiū suum, vt in similitudine carnis pec-
cati pro nobis satifaceret. Neque alium finē
vbique assignat Scriptura cur carnem nostram
suscipere voluerit Filius Dei, & hoc etiam mā-
datū à Patre acceperit, nisi vt victimā fieret pro
peccato, & animā suā poneret pro ouibus, hoc
mā datum, inquit, dedit mihi Pater. Propterea

m.i.

veni, inquit, in hanc horā. Venit Christus peccatores saluos facere. Gratia quæ per Euangelium manifestata est, data est nobis ante tempora secularia. Ergo peccatorum remissio ex æterno Dei consilio per Christi mortem cōstituta est ante vllum creatum hominem. Vnde & Lucas Christū Filiū Adæ in genealogia cēdere nō dubitat, qui secūdū hominē ab humano naturalique semine prodiit, vt Filius hominis verè dicatur, sicut fert humanæ viræ cōditio. Fuit enim nobis per omnia factus similis absque peccato. Neque satis extricare se potest Durādus ex eo quod vocatur secūdus Adā, vt inquit, ostē datur Christus (qualiserat ab initio suæ creationis Adam) immortalis natura, destitisse tamen ab ea sua virtute: nā sibi morte quā ex natura nō habebat, amplexus est. Ea sunt Marcionis, Serueti & curiosorū hominū dogmata qui nūquā desinūt in sacris pro suæ mētis libidine curiosè versari, adeò vt etiā ausit scribere Osiāder, ad imaginē Christi, qui iā præcognitus erat in mēte Dei, Adamū cæterosque inde homines, quasi ad exēplar fuisse formatos. Quod siverū est, falsò Christū Paulus alterū Adamū nominauit. Certè nō in cælesti aut diuino semine, neque in larua immortalis hominis, promis̄ facta est benedictio, sed in semine Abrahæ aut Ia-

eb, in Dauidis Filio & fructu vētrisei⁹, in illo inquā, factō ex muliere, qui ab incunte nativitate sudauit, alsit, fami, siti, frigori, aliisq; naturæ infirmitatibus obnoxius fuit: quæ certè sunt præludia mortis, & mortalitatis certa veraque indicia. Quū enim ie iunasset dieb⁹ quadraginta, esuriit: quæ nūquā passus fuisset, nisi ex mortalitatis ordine. Ideoque testatur Apostolus debuisse fratribus similem fieri, vt misericors & fidelis esset intercessor, quòd alioqui in carne nostra expiata non fuissent mundi peccata! Quòd si immortalis quū esset, mortalib⁹ nobis coaluit, vt caput corpori per iuncturas conexum, quæ tādem est hæc harmonia partium re & natura dispariū? Certe dictū illud Petrinō cōstat, mortuum fuisse carnem Christum, viuificatum spiritu, nisi infirmus fuit Filius Dei in natura humana, quē etiā Paul⁹ crucifixū fuisse asserit ex carnis infirmitate. Affingat igitur, si potest, Durād⁹ cælestē corp⁹ Christo cū Marci one, aut aëreū cū Manichæo, aut diuinū cū Eutyche, Serueto, Schuēlfeldio. Satis ista refellunt rationib⁹ istis ex verbo Dei de prōptis. Id enim quoq; habet Durādus cōmune cū Serueto nuper impietatis dānato, quòd sōniat Christi carnē cælestē fuisse ac diuinā. Sed subtilius

m.ii.

explicat suum commentum Seruetus, ut tenebras lectoribus offundat, dum ex tribus elementis cōpositum testatur. Enim uero si caro Christi diuina est, ergo caro Christi Deus est. Hoc autem quid aliud est quam duas Christi naturas confundere, & veram humanitatem in nihilum redigere, & deitatem quandam passibilem facere, denique omnia permiscere? Augustinus frequens est in hac sententia: & ne in re sati vulgata multum occupemur, proferam hūc solum ex eo locū. Sicut, inquit, in cælo Filius habuit Patrem immortalem & æternum, sic in terra matrem. In cælo qualis est Pater, talis est Filius: in terra qualis est mater, talis est secundum carnem Filius. In cælo cum Patre æternus est & immensus, & in terra cū matre temporalis est & mansuetus. Vbi nunc phrenetice Durande, caro illa ex diuina substantia, quam Christo affingis? Quomodo caro Deus est & res diuina, ut de ea seorsum dictū sit, Vocabitur sanctum Filius Dei? Nam hoc quidem non inficiatur quin ille ipse qui in ea carne natus est Deus, sit sanctus, purus, & omni perfectione maior. Sed si feramus hanc tuā blasphemiam, vbi sympathia quam in mediatore necessariam docet Apostolus? vbi fraternitas, si carnis originē Christus

Christ' è cælo traxit, quæ nobis ex terra manat?
 Vbi spes resurrectionis nisi Christ' mortale &
 caducū corpus nostro simile semel induit? Vi-
 demus ergo quām exitiale sit hoccōmētū, quo
 vinculū nostræ cū Christovnitatis quòd ad hu-
 manæ naturæ cōmunionē scinditur & lacera-
 tur. Si qualis est mater, talis est Christus secun-
 dum carnis naturam, & mortalis fuit Maria, vt
 pote quæ etiā migravit ex hoc corpore, fuit ni-
 mirū Christus secundū carnē natura mortalis.
 Et sicut è terra originem traxit Maria cæteriq;
 eius maiores, inde quoque est Christus secun-
 dū carnē. Videmus, inquit, Tertullianus, dupli-
 cem statum, non confusum, sed coniunctū in
 vnam personā, Deum & hominē Iesum. Quòd
 si tertium quid esset ex vtroque confusum, non
 tam distincta documenta paterent vtriusque
 substantiæ. Quanvis igitur corporis affectus,
 ægritudines & dolores, ipsa denique mors ho-
 minem propter primi parentis lapsum inuase-
 rūt, voluit tamē Christus, nostri causa, corpus
 illud infirmū & débile, tot calamitatibus dedi-
 tum, sed ab omni peccato immune, assumere,
 grauissimósque labores, egestates, & calamita-
 tes sustinere, nō tātū in corpore, sed in ipsa quo-
 que anima, adeo vt ex ipsius corpore grumi-
 veat. m.iii.

luti sanguinis descendentes, in terrâ deflueret. Eādē etiā ob causā cœpit pauere & tædere, & lachrymatus est, atque adeò tādē diuinæ vltionis seueritatē fēlit, vt iræ Dei intercederet, & iusto Dei iudicio satisfaceret. Oportuit enī eū cū inferorū copiis, æternæq; mortis horrore quasi cōsertis manib⁹ luctari. Percuss⁹ est propter nostra scelera, attritus propter nostras infirmitates, adeòvt tātis doloribus defessus, queratur se à Deo derelictū, qua nulla seuerior pœna cogitari potuit. Hāc autē vocē Christus penè exanimis ex intimo animi angore anhelauit, quū manu Dei percussus & afflictus, diuinæ seueritatis grauitatē sustineret, & corpore quidē grauiter sed omniū grauissimè in anima, acerrimo illo iræ diuinæ fēsu vulneraretur. Itaque nisi volamus & Legi & Prophetis & Euangeliō repugnare, necesse est fateamur Christū ex Virginis vtero, natura mortale & (vt disertè inquit Paul⁹) *ταῦτην*, id est passibilē, infirmūdēbilēmq; natū esse, assūpta carne, nostræ carni in omnib⁹ & per omnia simili, excepto peccato, denique factum esse veluti vermē & nō hominem, id est omnium hominum abiectionissimum, opprobriū hominū, abiectionem plebis, maledictionem. denique ac peccatū, id est victimā pro miseriis nobis perditisq; peccatoribus. Hic ille est

verus Abrahæ Dauidisq; Filius, quē agnoscimus sicut in Lege & Prophetis nobis promissus erat, qui naturæ cōmunione nobiscū inita, in societatē sui ipsius, suorūmque bonorū nos ad misit, & incarne nostra mortali diabolū & mortē debellauit. Quod autē blasphemus Durādus addit, Verbū in Virginis vtero successisse loco seminis viri, vt Virginis coagulū in Christū formaretur, duas hæreses cōtinet detestādas. Nā cōceptus est Christus ex Spiritu sācto, testante Angelo, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obūbrabit tibi. Fuit ergo Spiritus sāctus efformator illius cōpositi, Dei & hominis Christi, qui ordinariā naturæ rationem inenarrabili virtute superauit. Effecit enim ne qua carnali corruptione inquinatus, sed summa puritate sāctificatus Christ⁹ homo nasceretur. Spiritū sanctū superuenire in Maria, significat extraordinariū forchoc opus, vbi naturæ remedia deficiūt, quod significatur Obūbrationis verbo. Nam in tām mirabili mysterio arcana sunt Spiritus sancti operatio. Impie loqueris, Durande, & prophane, quum dicis Mariam ex Filio Dei Christum concepisse. Illud enim ipsū est quod dicis, Verbū, siue æternū Filiū Dei in Virginis vtero fuisse seminis viri loco. In tātis

m. iiiii.

tamque puris mysteriis & cogita & loquere (si potes) qua prælitum esse debet Christianū peccatum modestia & pudore. Agnosce potius cum Apostolico & Niceno symbolo, Mariā ex Spiritu sancto, id est Spiritus sancti opera Christū cōcepisse, ex quo Sanctus vocatur, quatenus videlicet Spiritus sancti virtute cōceptus est, diciturque semē sanctū, immune nimirū ab omni peccato, ut alios purgaret ab omni immūditia & macula. Quāuis enim ex Abrahæ semine genitus sit, nihil tamē cōtagii ex vitiosa natura cōtraxit, quia ab ipsa origine purū eum seruauit Dei Spiritus, cuiusvirtute in utero Virginis cōceptus est. Fœdius est quod impurus iste subdit, coagulū Virginis in Christū fuisse formatum. Recti dixisset cū Ioāne, verbū carnē factū esse: nō quod in carnē versū sit, vt putat blasphemus Durādus, qui Verbū putat feminis loco fuisse, aut carni cōfusè permixtū, sed vnitate personæ nō cōfusionē naturæ. Sic enim cōiuncta est diuinitatē humanitas, vt sua vtricq; naturæ solidæ proprietas maneat, vt ex Deo & homine unus Christus cōstituatur. Neque tamē intorim negamus, sicut animi propria ad corpus referuntur & cōtrā, sic etiā in Christo valere ex Scripturis.

propric-

proprietatum cōmunicationē. Atque vtinam potius discat Durandus nō ex suo sensu, sed ex Spiritu sancti lingua loqui, præsertim in his tā se riis arcanis, quæ nobis proposita sūt, vt illa potius adorem⁹, quām curiosēscrutemur. Sed nihil est quod furiosi & phrenetici spiritus non perturbent. Ita fit vt miser iste, nihil aliud suis argutiis contendat quām vt probet Christum non esse hominem, quia Deus est: non esse Deum, quia homo est: non esse Deum & hominē, quia sit vtrumque. Neque intelligit Christum quidem esse Deum secundum humanitatem, sed nō ratione humanitatis. Sic quoque Dauidis & Virginis soboles Christus dicitur, & Deus & homo propter personæ vnitatē. Sed coagulum Virginis in Christum idcīrcō non dicitur formari. Alia enim ratio formationis Christi, quæ illius cōpositi partes disquirit, alia ratio cōmunicationis proprietatū vtriusq; naturæ. Atque ita dānatus est Nestorius, qui quū naturas potius distraheret quām distingueret, duplē Christū finxit. Distīguim⁹ autē naturas, quū ex pprietatū cōmunicatione cū qui nat⁹ est ex Virgine filiū Dei dicim⁹, & quū Virgo ipsa mater Domini appellatur: sic locutus est Spiritus Dei p̄ os Elizabeth. Eutyches, cui⁹ simiol⁹ est

Durādus, sic è cōtrario personæ vnitatē cōmē dauit, vt vtrāque naturā quātū in se fuit discer- peret. Sed cogitare debuerat Christū corpus suum, tēplum vocasse, quod non esset, nisi di stincte in eo habitaret diuinitas. Corpus ergo Christi sāctū quidē tēplū est, in quo omnis ple nitudo diuinitatis inhabitauit corporaliter: sed tamē nō est natura diuinū: cōpactū enim est ossibus, carne & neruis. Christus igitur rati one humanitatis homo est, sed dū agitur de modo efformationis Christi, cōstāter dicimus & fatemur cū Ecclesia Dei, Christū verbū & ho minē, nō esse ex sola Virginis substātia. Est e- nim Deus & homo, vnuus Christus, & qui ex Virgine natus est, Filius Dei est, & vnigenitus Filius Dei. Itā tamē Filius Dei, quia Sermo est ante secula genit⁹, qui in temporis plenitudine vnione hypostatica naturā humanam assūpsit. Est autem illa vnio quæ personam constituit ex duabus naturis. Sed & quanuis pro huma- næ naturæ suæ conditione Christus mortem pertulit, quia mortalis erat, non tamen exclu- ditur obedientia qua Patri vltrò morem gessit vsque ad mortem, mortem, inquam, crucis, quæ multis in scandalum, multis in stultitiam cedit. In hac enim morte primū gradū occupat volun-

voluntaria subiectio : quia nihil ad iustitiam profuisset sacrificium, nisi sponte oblatum, quod ipse quoque testatus est quum diceret, Nemo tollit animam meam a me. Sic Isaías testatur eum obmutuisse coram tondente, neque aperuisse os suū. Sic obuiam iuit militibus, quos voce prostrauit, ut ostenderet voluntarium se iudiciū subire, in quo & Patri obsequiū præstebat. Appositè igitur citat Apostolus Psalmū: In libro Legis scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam Deus. Volo: & Lex tua in medio cordis mei. Tunc dixi: Ecce venio. Illa est castigatio pacis. Nam ipsius liuore sanati sumus, atque ita dum a iudicis folio ad mortem traditur, inter latrones suspenditur, completur quod dixit Isaías: Inter iniquos deputabitur, ut peccatorum vices obiret. Exoluebat enim quæ non rapuerat, & maledictum illud & execrādum crucis supplicium ultrò subiit, ita tamen ut naturali ordine mortem in corpore pertulerit, quia mortale erat. Quod igitur mortuus est Christus secundum humanitatē, id factum est ordinario iure naturæ: non quod caro ista sese poterit efficaciamque immortalitatis abdicarit, quæ esset hoc respectu suapte natura Christus ~~mortis~~, ut ait Apostolus. Sed de hac re plus satis.

Caput Octauum.

VR AND VS histrio, repente factus
de Thrasone Theologus, Possotidiligen-
tia, infamis & ignavi monachi, nunquam tamē
intelligere potuit veterum Sacramentorum
cum nostris analogiā, sed cum suo præceptore
tenebris & vertigine circumagit, ideoque
plurimis locis, vt Libri primi cap. 8.26,49,
51. & Lib. secundi cap. 4. Lib. tertii cap. 57,
nusquam sibi constat, donec tandem hæc no-
bis velut è sacrario reddita oracula proponit.
Cœnam testamentum esse non figuratum. Ve-
tera enim, inquit, transierunt, noua sunt om-
nia! Figuram in Cœna dicere, esse in pro-
uerbiis docere, & palam non loqui. Si fi-
gura sit in Cœna, Cœnæ figuram alia figura
notari, & figuram figura terminare. Præcel-
lere Cœnam adumbratum esum Mannæ,
potumque aquæ fluentis è petra. Cœnam
corpus esse, illa verò umbram. Non enim
dedit Moses panem de cælo verum, sed Pa-
ter dedit depulsa nube & veritatis lucis-
que aduentu. Imò etiam mentitur nos fo-
uere Marcionis somnia, vt Christum in fi-
gura passum esse dicamus. Aliter præterea

Afflatur huic pagina folium
hac nota in frōte insignitum

lotos

Iotos Patres à peccatis, aliter nos lauari. Absolutos fuisse Patres ab esu corporis, potúque sanguinis, & huius farinæ permulta. Nos autē diximus, & hic quoque repetimus, Verè quidem corpus Domini dici, sed non sine tropo, qui si nō adsit, in absurdā delabimur, quæ à Scripturæ testimoniis sunt maximè aliena, nēpe ut corpus inuisibile Christo tribuamus, & quòd corpus physicū simul multis locis esse possit, atque adeò ut spiritualia terrestribus permisceamus. Hęc in poculo duplē tropū cōstituimus, Cālicem esse testamentum in sanguine, & esse sanguinem: quibus additur tertius tropus, quū postulo tribuitur quod de re in poculo comprehēsa dicitur. Certè nemo hominum intelliget absque figura & metonymia vinum esse fœdus siue testamētum quod nobiscum sanguine Christi sancitur. In eo consensus est omnium veterū, quanuis non iisdem prorsus vocabulis vitatur. Quidam enim dixerunt signum esse, quidam figuram: alii verò Significandi verbo vñsunt: de quibus satis multa alibi diximus. Vetera, inquit, transierunt, noua sunt omnia. Ergo ut vetus ad nos, sic Patribus nouum fœdus nō pertinet. Neque veretur sancto Dei verbo Scripturæ que testimoniis præpostere abuti, vel ad ambitionem, vel ad ludicra, & impressam nominis

Dei dignitatem, veritatisque candorem polluere, profanare, & nimia licentia distorquere. Paulus autem, 2. Corinth. 5, ait, Siquis in Christo nouā se creaturā esse velit, renouetur Dei timore, rectaque conscientia. Sic in eo vetera emarcescent, noua fient omnia. Nā tunc sicut cælū nouū & terra noua, dicit Isaías, cap. 65, quo significat in spirituali regno Christi spirituales fore eos qui Christo nomine daturi sunt, quique regenerationis Spiritu renouati, carnalibus extorris solū spirabunt Dei Spiritū: atque ipsum etiā Christum spiritualiter agniti sunt, quia spiritualibus suis donis acquiescent. Sunt autē ex vsu Scripturæ vetera, quæ non sunt Spiritu Dei reformata. Solus enim nouus homo floret in regno Dei. Hæc autē quorūsum ad veterū Sacramentorū casum, nouorū inque institutionē? Scio in Missalibus odis non nihil simile repetiri: quod sumptū fabulātū ex Thoma Aquinātē, quē faciūt impuri illi⁹ & blasphemici cārīci authorem, dū turpiter lampetram voraret. Sed has impias nugas missas factāmus. Nūc ad Sacramentorum veteris Legis cum dñobus nūstris consensum descendamus. Est autē in primis id animaduertendum, Legis pædagogiam Patres ad Christū deduxisse, vt in expectatione ventuti

venturi Christi eos cōtineret. Quod igitur Patribus obscurum fuit, nobis est apertum, proinde plenior est nobis eius fruitio. Hoc quū multi Reges & Prophetæ optarint videre, nō sunt consequuti. Abraham quidē diem illum vidiit, sed eminus: et si habuit quæ ad fidei certitudinē sufficiebant. Sic non caruerūt Patres eo lumine quod in persona Christi refulget: sed si illos nobiscū conferas, quod illis sub umbris obscurum fuit, nobis per Filiū qui est in sinu Patris, assumpta nostra carne plenè manifestatū fuit. Nam ille ipse Christus dux populi fuit in deserto, & multò antè Abraham quod facturus erat Dominus in Sodomis, reuelauit. Ille idem est qui è tenebris lucem eduxit, quique tanto post tempore illuxit in cordibus nostris ad illustrādam notitiam gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. Olim quidē opposito velo, ac veluti in auroræ crepusculo: nobis autē aperta facie, nobis, inquit, quib⁹ ipso quasi meridie propositæ & exhibitæ sūt in Christo gratiæ, & in persona Filii promissionum veritas. Christo manifestato visi sunt aperti cæli, & Angeli Dei ascēdētes & descendētes super Filiū hominis. Itaq; à Patribus differimus in luminis claritate, sed tamen nos habere easdē cū Patribus promissiones docet

Paulus, quas quū amplectimur, fruimur Christo. Natura quidē eadē est promissionum, sed in qualitate discrimen. Euangeliū habet in aperio quod Lex sub typis obumbravit. Hæc enim subsistit infra Euāgeliū altitudinem, cuius aduentu erectum fuit in terris cælesti Dei regnum. Itaq; Patres eiusdem nobiscum hæreditatis fuerunt participes, eiusdem Mediatoris gratia communem salutem sperauerunt, eadē Lege atque doctrina, eodē vinculo fuerūt Deo fœderati: nec alia illis fuit pietatis, religionis, que regula, quām quæ nobis proponitur. Atquē ita Patrum fœdus substantia quidem & re ipsa à nostro nō differt, quin potius vñū atque idem esse vtrūque profitari nō dubitemus, quū in qualitate atque administratione multū differat. Nā fœdus cū Patribus initum, sub rerū fluxarū felicitate ad immortalitatē pertinebat, vt docet Apostolus: Fide, inquit, incoluit Abraham terrā promissā tanquam aduena. expectabat enim ciuitatem habentē fundamēta, cuius artifex & architectus est Deus. Iuxta fidem defuncti sunt Patres, nō acceptis promissionibus sed proculeas aspiciētes & salutātes, & cōfitestes se peregrinos & hospites esse super terrā, appetētes cælestē patriā quā Deus illis parauerat, neque

neq; dēsignatur vocari eorū Deus. Vocati sūt enim Patres ad eādem spēm adoptionis & immortaltatis, ī īque sola Dei vocātis misericordia. Præterea habuerunt & cognoverūt Christum mediatorem, atque eo fundamento, substantia videlicet promissionum freti, prorsus illis cōuenit nobiscum, quibuscū percussum fuit Euangelii fœdus. Vnicum enim fundamētum Christ⁹ est, qui est heri & hodie & in secula, cuius virtus perpetuò fuit fidelib⁹ patefacta. Imò non in solo fœdere, promissionibus, fide & spe cōuenit inter Patres & nos, qui in nouissimum tempus incidimus, verumctiam in Sacramētorum significatione. Nā quum Paulus à flagitiis deterrere vellet Corinthios pœnarum exēplis, Nō est, inquit, quòd existimetis vos vlla prærogatiua tutos à Dei vindicta. Ille enī Patres pœnis propositis cohibuit in quos benefic⁹ fuerat, quíque earundem rerum symbola perceperūt, quæ & vos Corinthii. Baptizati sunt, inquit, illi in mari & nube, & eandem escam spiritualem manduauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt. Quod autem dictum est apud Ioannem, Mosen non dedisse Patribus panem verum, & Patres quidem manducasse, sed mortuos fuisse, in eos torquetur qui tantūm vētrem

curabat, qualis est Durandus, ex quorum sensu loquitur Christus. Nam alioqui manna, ut Paulus demonstrat, non solum fuit remedium carnalis inediæ (licet hanc tantum infimam partem Dominus attingat ad quam spectabat vincens ferè populus) sed etiam spirituale fuit mysterium, ad figurādam spiritualem quæ erat in Christo viuificationē. Si Moses, inquit, nihil aliud per manna præsttit, sicut existimat, quām ut famem sedaret, maioris erit excellētiæ cibus qui immortalitatē præstabat. Paulus autem ex rei veritate loquitur, docētque datum esse manna, non tam ut ventrem pasceret quām ut spiritualis cibus esset, in vitam æternam. Hoc claris apertisque verbis testatur, quū ait, Patres eundem atque nos cibum spiritualem, & eundem spiritualem potum haussisse. Nobiscum conuenit Augustinus: Moses, inquit, Aaron & Phinees, multique alii qui manna māducauerunt, placuerunt Deo, quia visibilē cibum spiritualiter intelligebant, spiritualiter esuriebant, spiritualiter gustabat, ut spiritualiter satiarentur. Fideles itaque Patres spiritualiter manna māducarunt, spiritualiter aquam ē petra manantē biberunt: qui vero solo corpore inventris saginam eo vsi sunt, non aliter rem Sacramenti gūstarunt,

starunt, quam hodie Capernaïtæ & Sophistæ Sorbonicifructum Sacramenti suscipiunt. Nobis tamen adest splendor ille clarioris reuelationis gloriæ Dei, quo per Christum mediatorum in carne reuelatum, magis conspicuū fit nobis fœdus illud salutis æternæ, sublato Moses velo, & scalis illis terrenarum promissionū quibus deducti sunt Patres ad obscuriluminis notitiā. Audiebant quidē terræ Chanaan promissiones, & minas expulsionis à Dei hereditate, sub quibus latebant primaria illa Spiritus Dei bona, in suis Sacramētis & sub umbris recēdita, ad quæ sub Legis pædagogia manu cebātur quasi sub tutoribus propter ætatis defectum. Non quòd alia fuerit Patrum, alia nobis Ecclesia: sed Patrum Ecclesia puerilis erat, eadem tamen hereditas, cuius per se adeundæ nondum propter ætatem capaces erāt. Erat etiam tunc Lex umbra futurorum bonorum, cuius erat ea imbecillitas, ut ad perfectionē nihil adduceret. Officiū tamen eius fuit in spem meliorem suos introducere, & ad Euangelii lucē præparare. Neque quisquam Augustino melius ista explicarit, quum inquit Sacmenta Iudæorum signis quidem à nostris differre, sed re quæ significatur, paria esse: diuersa specie,

n.i.

paria virtute spirituali in signis diuersis, eadem fides. Ibi petra Christus, nobis panis. Illi pro magno Sacramento biberunt aquam profluente è petra, nos quid bibamus norunt fideles. Idem in mysterio cibus & potus illorum qui noster est. In utrisque Christi exhibitio: sed nobis vberior & plenior. Nobis Sacraenta numero pauciora, significatione augustiora, virtute præstantiora. Quid enim aliud Iudæis indicabat Circuncisio, nobisque Baptismus, quam vniuersum hominis semen totamque naturam corruptam indigere amputatione & lotione? Utrisque illa fuerant signacula fidei iustitiae, & sigillum confirmationis fidei, quam in Christo acceperunt. Non enim adhæserunt Patres rebus externis, sed illis (ut nobis) sacramenta fuerunt spiritualia. Baptismata & purifications ob Patrum oculos naturæ immundiciem & sordes constituebant, sed aliud lauacrum expectabant quo etiam fruebantur per fidem. Hoc lauacrum (ut nobis) Christus erat, cuius sanguine purgati, puritatè eius afferimus omnes in conspectu Dei. Nostra vero Sacramēta quid aliud nobis offerunt quam Christū? sed cōclarious quò propius est manifestatus hominibus. Baptisma quidē, quia ablutisum: Cœna, quia redem-

redempti. In aqua figuratur ablutio, in sanguine satisfactionis. Hæc duo in Christo reperiuntur, ex quo exiuit sanguis & aqua. Venerabatur in aqua & sanguine, id est ut emundaret & redimeret. Cuius rei testis est Spiritus Dei: quinimò tres sunt in uno testes, aqua, sanguis, & Spiritus: Spiritus autem primarius testis ablutionis & redēptionis. Nō itaque in Sacramētis legalib⁹ minora fuerunt sacrificia nostris, minūsque efficacia, quū æquè in illis veracē se patribus exhibuerit Deus, atq; se exhibit nobis in Baptismo & in Cœna. Neque verum est quod Papistæ nugātur, Sacramenta veteris Legis adumbrare Dei gratiā: Sacramēta verò nostra præsentē conferre, quū vtrisque æquales partes Paulus cōcesserit. Neque fas est Baptismo nostro plu tribuere (sī rē ipsā spēctes) quām olim concessū sit circūcisio-ni. In vtroq; Christus suscep-tus est cū suis spiri-tualibus diuitiis, vtrisque diuinæ erga se bene-volentiæ sigilla fuerūt in spem æternæ salutis. Interim tamē fatemur cū Paulo umbras nihil habuisse momēti ad iustitiā, quod etiā Sacra-mētis nostris cōuenit. Nā Sacramēta omnia ve-ritate & re Sacramētivacua, nudæ simplicēsq; sūt figuræ, qualis est blasphemorū & impiorū Cœna, ad quā sine fide sicut porci & sues spurcæ

n.ii.

accedunt. Talis enim fuit Circuncisio literæ & manufacta: umbras tamē specialius vocata fuisse Legis sacrificia fatemur, quia eorum complementū usque ad Christi exhibitionem quodammodo suspensum erat, modo videlicet significādi, quum nondum manifestatum Christum adumbrarēt, licet virtutis suæ præsentia intus suos confoueret. Habēt nihilominus nostra Sacramēta suas prærogatiwas, nēpe quòd firma sunt, neque in posterum mutāda. Incumbunt fundamento rei factæ, quòd amplius non sit expectandus qui manifestatus est Christus, quòd sint incruēta simplicia, & ad numerosiorēm populum pertinent, atque eō maiorem fidē excitāt quòd sunt clariora, nō ex symbolorum externa præfiguratione, sed quia perfecta nostra redemptio illustrioribus verbis nūc nobis annuntiatur, licet quod exterius repræsētatur in veteribus, cædes videlicet & sanguis fusus apertius illic conspiciatur quām in vino & pane. Sufficiat (inquit Augustinus ad Marcellinū) homini acuto aliis Sacramētis prænūtiatū esse Christū quū vēturus esset, aliis quū venisset annūtiatū, vbitēporū qualitatē apertā cōspicuāmque Sacramētorū lucē distīxit. Alibi, idē Augustin⁹ veteres cū suo Māna idē māducaſſe
quod

quod nos manducamus, cū Paulo testatus est. Eundem, inquit spiritualem cibū. Quæso Durande, si idem sit cibus, quomodo Sacra menta Patrum figuræ sunt nostrorum? Vtrisque coniuncta fuit veritas, neque fuerunt inania sym bula, si fide suscep ta sunt, neque solo animo idem manducauerunt fideles, sed etiam perceperunt credit æ rei symbolum: quod sæpius inculcat Augustinus in pertinaces veritatis ho stes, quum cibum Patrum toties repetit consti tisse re spiritali & terrena, sicut eundem re, substantia, significatione cum nostro cibum fuisse. Neque facilè fert eximiæ pietatis præce ptor Augustinus, quin tui similiū cōtumacem improbitatē & arrogantiā improbet & dānet. Lib. 19. contrà Faustum, Quanto errore deli rant, inquit, qui putant signis sacramentiisque mutatis, etiā res ipsas esse diuersas. Ante Chri sti aduentum caro & sanguis Christi per victi mas promittebatur, in cruce per veritatem red dita est: post ascensum, per Sacramentum me moria celebratur. Consentunt etiam cum ve teribus recentiores. Antequām Christus car nē assumpsisset, antequā pro mūdi salute mortē degustasset, antequā suo sanguine effuso nos redemisset, iā nostri Patres in deserto per escā

n. iii.

spiritualem potumque inuisibilem eius corpus manducabant, & eius sanguinem bibeant: & qui nunc panem & vinum in sui corporis carnem & sanguinem spiritualiter conuertit, ipse tunc Manna de caelo datum, corpus suum, & aquam sanguinem fecit. Clamet nunc rabula Durandus in sanctos orthodoxos Patres, atque in primis Augustinum oneret suis farraginibus quas ipsi Possotus consuit, nihil agit contra veritatem. Stat firma haec sententia, Sacramenta veteris nouaeque Legis signis quidem varia, retamen eadem esse: differre specie visibili, eadem esse spirituali virtute, etiam si crepet & insaniat miser, indoctus & inanis Durandus. Nam signorum res, efficacia & veritas a verbo pendet. Quum autem eadem Patribus fuerunt datae promissiones atque nobis sunt, concludamus oportet Christi fruitionem utrisque communem fuisse. Neque enim differt Augustino Manna a Cœna nisi signis. Quod autem existimauit Durodus Manna & Petram figuram fuisse, Cœnam vero veritatem esse, satis testatur quantu[m] promouerit in Theologiæ studio, qui sacrilega mente suo effectu priuare conatur Sacramentum a Deo institutum, & inuerecundè pertinaciterque spoliat sanctos illos Patres communione Christi

Christi. Audax certè facinus & multis plagis expiandum. Negat insuper in Sacramentis veteribus promissionem de peccatorum remissione fuisse. At si id verum est, quorsum toties apud Mosenoblatō sacrificio dicitur expiari iniqūitas? Evidēm his paucis existimo me lectori pio satisfecisse Huius autem bestiæ scuriles ineptias non est quod pluribus refellam. Quorsum enim Antarticum istū AEthiopem lauare contendere? Præstat itaque hanc cicadam raucidam contemnere, ut sibi suisque sit molesta.

Caput nonum.

MN Melchisedec arcanis mysteriis ex suo sensu temerè ludit Vilis ganeo Durandus, & fabulam esse putat, primi libri capite 56 & 57. Neque perpendit quām sancte & religiosè Apostolus de his cum Hebræis disseruerit. Principio præfatus (vt in rebus arduis solet) hic multa subesse longè difficillima quæ Iudæorum captum superent, Spes (inquit capite quinto) nobis est anchora firma, & quæ ingreditur ad ea quæ intra velum sunt, quò præcursor noster ingressus est Iesus, secundū ordinem Melchisedec factus in æternum Pontifex.

n. iiiii.

Moses autem nobis multis modis inculcat quām liberaliter & magnificè Rex ille Salem obuiam prodierit Abrahæ, cūmque cum toto exercitu conuiuio regali exceperit, pane epulīs que (quas sua lingua *lechen* nomine, vt solet Scriptura, complexus est) & vino refecerit. Neque fuit res modica, in manu habere quo statim & tanto exercitui sufficeret, & ad castra deferri curaret. Illa autem non frustra inter primas historias totius Scripturæ reponitur, in qua vera viuāque imago Christi refertur, cuius meminit Psalmus 110, ille tot nominibus celebris, sacro Christi ore commendatus: Quo Deus ipse solenni & ~~aduentus~~ iure iurando obfirmavit Christum Iesum Pontificem futurum, quem olim Melchisēdec typō figurauerat. Neque tunc rē vulgarem fuisse putemus in regione tot superstitionum corruptelis referta inueniri potuisse hominem, eundēmque Regem, qui purum Dei cultū tueretur. Erant hinc Sodomæ & Gomorrhæ, inde Chananæi: vndique septus erat impiis hominibus, vt vix creditunc posset, Deū alibi coli potuisse quām in Abrahæ familia, cuius pater & auus (apud quos summa integritas esse debuerat) iam pridem ad idololatriam dege-

degenerauerant, domusque Abrahæ (in cuius lumbis continebatur Ecclesia) spelunca es-
set idolorum, scateretque impio profanóque
cultu vniuersa Chaldæa, oblita vicinæ religio-
nis quam iustus sanctusque Noe constituerat:
vocatusque est Abraham à Deo quum infæce
idololatriæ demersus esset. Quod testatum
nobis reliquit Iosue, capite 24. Tunc tamen in
terra Chanaan solus Melchisedec in puritate
Deo viuenti purum cultum præstebat, in quo
veluti in centro terræ, & cauernarum latibulis
sepulta latebat Ecclesia Dei. Fuitque tunc me-
morabile, Regem inueniri, qui nō tantum veræ
religionis seruiret, sed munus quoque Sacerdo-
tis obiret. Et sanè oportuit in eo qui typuserat
Filii Dei, omnia esse præclara. Melchisedec igi-
tur inter improbos & idololatras cultū Dei re-
tinet, neque vacillat paucitate piorū, vel infide-
liū numero. Nulla lege scripta iuuatur, per ma-
nus à Noe, Sem, cæterisque maioribus, quod
placitum esset Deo, acceperat. Auctus itaque
duplici dignitate, vtraque se gratū patri nostro
Abrahā præstat, Regia liberalitate ac sacerdo-
tali prectione: cuicicissim Abrahā prædæ, aut
forsä verius ppriæ facultatis ~~in rāb ḫaqodhāw~~, ex sua-
rū frugū aceruo decimas cōcedit. Neq; dubitat

sanc*tus Patriarcha*, fidelium omniū ac totius Ecclesiæ Pater, cuius spirituales posteros Deus in Christo cooptauerat, & in Christi familiam & œconomiā adscripserat, Spiritus Dei impulsu se Melchisedec summittere, illum venerari sub typo Christi, & præstitis' decimis, Deum totius benedictionis largitorem agnoscere. Reges olim sacerdotes factos vulgatum ac tritum fuit apud multos: ambiebant enim sacerdotium, ut augustinor & sacratiōr videtur regia maiestas. Illa tamē Deus sua Legē discreta esse voluit. Neque perfectum illum inter mortales Mosen, quē amici nomine dignatus est, vtroque munere fungi voluit: sed sacerdotium Aaron deputauit. Osias verò Rex, dum id suo malo molitur in altaris incenso, statim lepra percussus est. Asmodei verò tribus Leui, duce Aristobulo, Simonis Machabæi nepote, iam inclinato regni Iuda imperio, multis variisque fluctuationibus fatigati, temerè neglegēt Lege, & omnipotentis Dei iussu, sceptrum Iuda sibi arrogant, & sacerdotio coniungunt, Melchisedec autem soli, qui Christum referebat, licuit, cui incumbebat suo aduentu sacrificio legali finem imponere, quum ante Legem sub typo Melchisedec constitutus esset sacer-

dos, qui sub Abraham ipsum etiam Leui decimauerat, quum in lumbis Abrahæ esset. Iudas autē decimatus non est, quāquam in lūbis esset Abrahæ. Sed quoniā Melchisedec à Christo, cuius erat figura, separari nō poterat, Iudas & Christus ea figura sub Abrahæ decimaru præstitione sumitti Melchisedec non potuit. Christus enim (genus Iuda) excellere oportuit legales omnes cultus & figuræ, quarum erat veritas & substantia. Quod ipsum tot seculis vmbbris legalibus figuratum est, ut Patres illa pædagogia tantisper retinerentur, dū manifestaretur Christus in carne. Interim tamen veritate redēptionis fruebantur, & Redemptorē Christum agnoscabant, & Euangelium amplectebātur. Sacerdotis itaque personam verè & perfetè sustinet Christus, non modò vt Patrem nobis æterna reconciliatione propitium reddat, sed etiam vt nos asciscat in tanti honoris societate. Nos enim sordibus licet implicati & polluti, in Christo sacerdotes sumus, offerimus grata Deo sacrificia, nos & nostra omnia, & liberè ingredimur sanctuarium cælestē, & grata sunt nostra sacrificia, precum scilicet & laudis & vituli labiorū cōfidentium nomini eius. Propter eos dicit Christ⁹ (Ioan. cap. 17,) sanctificaui

meipsum, quia sanctitate eius perfusi, quatenus nos Patri secum dicauit, tanquam puri & mundi, immo etiam sacri Deo placemus. Quod notauit Daniel Propheta, quoniamunctionem illam praefert vunctioni vmbra tili Legis. Soleni verò qua defunctus est precatione quum patri nostro Abrahæ benedixit, Pontificem egit, docuitque se dignitate & officio maiorē illo quē Deus vniuersæ suæ Ecclesiæ Patrem constituerat ut fidelium esset radix. Referebat enim illum cui flectitur omne genu terrestrium, cælestium & infernorum. Quod quum mirantur nonnulli veterum, ut Melchisedec supra humānam conditionem constituant, Angelū fixerunt: quod Scripturæ fundamento caret. Non enim assimitur Pontifex nisi ex hominū ordine, neque vñquam Angelis regnum imperia dispensata fuisse legimus. Præterea ut sit Angelus Melchisedec nudatus sacerdotio, quis illum Abrahamo prætulerit insigni paternitate fidelium? Sic Dauid superior est Angelis, quoniam Christus refert, vaticinio Spiritus sancti, cui dictum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cui enim Angelorum, inquit ille, aliquando dictum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Præfuit itaque Angelis, præsunt Abrahamo, analogia diuina

diuinæ maiestatis quam referunt Melchisedec & Dauid. Notæ similitudinis sunt inter Christum & Melchisedec, nomen Regis, Iustitiæ, & Pacis. Christus enim non modo iustum imperiū exercet, sed Dei iustitiā nobis cōmunicat, dū efficit vt gratuita recōciliatione iusti cēseamur, & nos renouat suo Spiritu, vt sāctè piéque viuamus, quo nomine eū insigniuit Zacharias. Regni autem pacis est altera nota: est enim pax iustitiæ fructus, quū nūquā in suis regnet Christus nisi cōstituta pace. Tertia nota, quòd exemplus videatur Melchisedec à cōmuni nascendi lege, quod aperiè declarat Apostolus Iudæis: οὐτοὶ γάρ εἰπόντες ἀπέταρον, ἀμέταρον, αἴγινεται γέννησις, μηπάροις οὐτε πατέροις μήτε ζωῆς τείλος ἐχοντες, αἴφαντοι φέροντες δὲ τῷ νῷ τῷ Θεῷ, μηδεποτέ εἰς τὸ διπλεῖκον.

Hic profectò adhibenda est religio, vt contenterimus verbo Dei. Statim enim quum audit humana ratio Melchisedec absque patre, absque matre, sine genere, neque principium vitæ aut finem dierum habuisse, sibi fingit phantasma è cælo deplutum, aut vanas futilésque formas & figuræ quæ ab hominibus simul vt visæ sunt, disparuerunt. Alii Christū apparuisse, vel Spiritum sanctum, vel, vt prædiximus, Angelū dixerunt. Sed quum nulla retineantur sobrietate & sacrorum mysteriorum reuerentia, non su-

stinent quòd multa Dominus voluerit à nobis ignorari. Nobis itaque satis esse factum putemus, quum intellexerimus his verbis, Christi æternitatem commēdari, quæ in Melchisedec fuerit adumbrata: quem considerare nobis nō decet ex communī hominum ordine, sed in typō Christi sufficiat. Altera est eorum ratio qui Melchisedec fecerunt. Sem ex Noe filiis vnum. Verūm quanquam nō solūm huc usque, sed ad alia quoque secula dies suos protraxerit Sem, qui Esau & Iacob ab nepotibus minores, quinquagenarios viderit, quo s̄ auus Abraham decessens annos quindecim natos reliquerit, atque adeò superstes Abrahæ Sem fuerit annis plus minus triginta quinque. Cuius rei testamētum fidem facit illius ætatis temporum calculus & ratio. Non fit tamen mihi verisimile Sem fidelem, pietatis officio erga Deum in primis & Noe parentem, ad hos dignitatum titulos clanculū & muta Scriptura obrep̄isse. Insuper non video quomodo post tot varias & duras iactationes Abraham iure cognationis ad Melchisedec familiariter non diuertisset: & auxiliares copias Loth agnatus nō accepisset. Denique sicogas hoc mysterium ut ad hominem certum & notum veniatur, iam non stabit

hæc

hæc *tertia similitudinis nota*: sed à Spiritu sancto proponitur obscurus, cuius simul ortus & interitus nesciatur, ut recti regno sacerdotioque Christi respōdeat. Qui quū sit ætern⁹, æter nīq; Dei Filius, essentiæque diuinæ, spiritualis & infinitæ, Patrē Deū habet, à quo sit ante secula genitus: quíq; in temporū plenitudine de Spiritu sancto cōceptus, humanā ex Maria naturam suscepit stupendo miraculo, veros po stea mortis aculeos sustinuerit, quum perēnis fuerit suavita, qui sua morte nobis omnibus vitam concesserit, principium & finem dierū non habens, quum sit æternus, illiusque æter nitati communicent omnes electi. Est enim in Christo immortalis Ecclesia, cuius sponsus & caput finem dierum non habet. Benedictionis autem formula qua v̄sus est Melchisedec, parū discedit ab illa quæ sacerdotibus Legis præscripta postea fuit. Vtrinque sanctum Dei nomen proponitur & inuocatur: vtrinque accepta Deo referuntur beneficia, à quo fluit omnis benedictio: vtrinque præcipua illa felicitas optatur. Sic quum eleuatis manibus ferretur Christus in cælum, suis benedixit, vt impletet figuræ Legis. Ad Christum enim pertinet virtute sacerdotali fidelibus benedicere, & Pa-

tri acceptos reddere. Officii igitur pontificalis est & sacerdotalis benedicere, non sola donorum sacrificiorumque oblatio, quod explere non potuit Melchisedec, quin se Pontificem doceret, & prædicaret: neque illi se summittere potuit Abraham, quin illum Pontificem sibi à Deo ordinatum intelligeret, quod plus satis arguit decimarum oblatio. Nunc ad imposturas Durandi vilis ganeonis & impuri canis veniendum est. Nunquam pontificis munere, inquit, functus est Melchisedec, nisi panem & vinum in sacrificiū obtulerit, cui meliores hostiæ respondeant, nimirū panis & vini in cruce oblatio. Offerens enim Melchisedec panē & viñū Abrahæ, ad Christū respexit. Quod qui negat, negabit et iā Melchisedec unquam munere pontificio functū. Omnis enim Pontifex offert dona & sacrificia Deo: quæ quum non obtulerit Melchisedec, sacerdotis officio non est defunctus, & quum sit figura Christi, Christum præfiguratum nihil obtulisse Patri operæ pretium est. Postea expostulat edoceri quid hostiarum meliorum nomine intellexerit Apostolus. His dum satisfacere conor, sentio gracie mihi onus impositum homini bardo, indocto, & in sacris parū promoto & exercitatore-sponde-

respōdere. Nemo enim eorum qui vel medio-
critate in Scripturis sacris sunt versati, est qui ne-
sciat; Sacerdotes Pōtificēsq; veteris Legis, nō
in solī donis & sacrificiis, sed in his quoque
quæ ad cæremonias & instituta, riuſque sacro-
rum pertinerent fuisse distractos: quorum exer-
cita, disertè appellantur in Lege cultus Dei,
quibus Deuscoli voluit Sacerdotum & Pōtifi-
cum ministerio, & in quibus velata absconde-
bantur potissima Christi & Ecclesiæ mysteria,
fuerūtque sacramēta populi Iudaici, quæ Deo
gratissimi, odorisq; suavissimi fuerūt, quū fide
fyncteroque cordis affectu præstabantur. Ori-
go autē Sacerdotum in veteri populo à primo-
genitis prodrīt. Cæsis enim A Egyptiorū pri-
mogenitis, Israelitarum primogenitos Lege si-
hic secrat Dominus: Quibus succedit tribus
Leui. Ecce ergo sclegi, inquit Dominus, ē me-
dio filiorum Israel Levitas pro omni primoge-
nito, quod primum nascitur in filiis Israel, & e-
runt mei Leuitæ. Huiusque vocationis mirabi-
le signum fuit virga Aaronis quæ floruit inter
undecim surculos sola, quæ iubente Domino
asseruata est in tabernaculo, ne aliae tribus sa-
cerdotū affectaret. Erant autem varia & mul-
tiplia Pontificum officia, Obtinebat pri-

o.i.

mas institutio & doctrina: discernebat etiam sacram a profano, mundum ab immundo: docebat populum omnia statuta. Aliud erat officium in sacra benedictione positum, constituta formula, quibus externis vocibus internam & efficacem Dominus benedictionem felicitatemque coiungebat. Denique rem sacrarum faciebat, administrabant sacramenta, & sacrificabat: circuncidebant infantes octauo die, Pascha procurabat, & variis generis sacrificia offerebat Domino. Afferabant vas a sacra, ea purgabant, curabant accendi lumina, igne fovebat perpetuum, sufflatus & incensa, thus & oleum parabant. His discitat Durodus rectius argumentati. Melchisedec, inquit, non obtulit dona & sacrificia: non igitur munus Pontificale obiit. At verononynicum est Pontificum munus atque officium, immo postremum hoc est Sacerdotum munus, sacrificare. Omnis quidem Pontifex constitutus est ut dona & sacrificia offerat, quem sacrificandum est: non enim semper est fitandum: Insuper, benedicere officium est munusque Pontificale & sacerdotiale, quod quum peregerit Melchisedec, quo furore rapitur fatuus Durodus, ut dicat eum quidem benedixisse, hoc tamen munus non esse sacerdotiale? atque ita suam infantiam & ignorantiam prodit. Aut ad

lanic-

Ianienam dūtaxat Leuitæ fuerunt cōducti. Venerum non cōvenerat Rex Salem, vt mactaret, sed ut benē precaretur, quo ritu munus Pōtificium expleuit. Addis præterea ex verbis Mōsis obtulisse panem & vinum: Sacerdos enim erat Altissimi. Sed falleris ignorātia. Linguae sanctæ: Vaf enim illud copulatiuā nobis reddit, nō rationālē. Obtulit quidē panem & vinū: atque hic opus est ~~deuteron. 16~~. Quū autē Sacerdos esset Altissimi, benē precatus est Abrahā. Qua lectione & clausulis interpūctis vno ordine vñtūr Hebræi, Chaldaeī, Græcique codices. Mirum est Latinis aliā mentē fuisse, vt distincta in causæ rationē retulerint. Quod etiā notauit Thomas Caietanus. Addiderunt præteca Græci, dptus 2. 677, vt multipli cibos intelligas, nec solo pane fuisse pastos. Sed cur nō tibi venit in mentē Martinū ilū tuarū glossematū authorē, quū ineptè ~~adserit~~ interposuisset, asini iacturā fecisse? Postulat insuper à nobis Durādus, cur non dictus sit Christus Sacerdos secūdum ordinē Abrahā, Isaac, Iacob, Ioseph & Dauid, vt dicitur secundū ordinem Melchisedec.. O nebulonē imperitum! An nescis a fine piger, Abrahām aliōsq; de quibus interrogasti, nunquā ad sacerdotalē dignitatem eueristi? In quibus ordinem Pontificalem

quid exigis? Præterea quis te docuit Ioseph collocandum esse inter parentes à quibus prodierit Christus? An tibi non licuit per negotia ex Matthæo & Luca genesim Christi semel legisse, & didicisse Christum non ex tribu Ephraim aut Manasse, sed ex Iuda processisse, discretis neque cōfusis funiculis distributionis familiarū Iuda & Ioseph? Interim tamē te Theologū esse profiteris. Volebas dicere decoctore, parasitum, & culinarum ganeonē. Est sanè quod tibi condonemus quod Apostoli mentem non sis assidue iustus, quum dixerit ad Hebræos 9 capite, Necesse est exemplaria quidē cælestiū his mūdari. Ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis. Cōfert Apostolus figuras Legis cum veritate Euangeliī, purgationes quæ sub umbris in veteri Lege fiebant, cum purgatione quæ absque pædagogia Legis, post manifestatum Christum clariori lumine perficitur. Analogiam, inquit Apostolus, esse oportet inter ea quæ purificant & purificantur. Exemplaria eorum quæ erant in cælis, sacramenta sacrificia quæ Legis erant, quibus coniunctione rerum cælestium quas præfigurabāt Patres purificabantur. Nā sub Lege typi illi omnes terreni fuerūt, tabernaculum, liber, vasa, victimæ, cæteraque omnia

omnia. Ea tamē erāt rerū cælestiū typi. Oportuit igitur typica & eiusdē naturæ materia & ritu, nē pē pecudū sanguine, aqua, lana, hyssopo lustrari: cælestia verò melioribus potioribūsq; hostiis purgātur. Cælestia vocātur omnia quæ sub Euāgeliocōtinētur. Nā quæ erāt sub Lege terrena, & elemētis huius mūdi addicta, deperditis vmbbris terrestribus, iubar illud cælestis lumenis adepta sunt: & qui in tenebris erat populus vidit lucē magnā: habitātibus in regione vmbrae mortis, lux orta est. Itaq; sub Christo cælestia sunt omnia, cælestis tabernaculū, cælestis victima, cælestis populus, cælestis doctrina, quæ sanguinis Christi æterna oblatione absq; figuris & vmbbris sanctificari oportuit. Quòd multitudinis numero hostiarū vtatur Apostolus, nō est quod turberis, Durāde, vna enī vnius victimæ oblatio omnib⁹ typicis opponitur, quæ instar sit omnium. Itaque pluralem numerum ~~καταχρηστῶν~~ usurpauit p̄ illa vnicā & singulari hostia, qua vna tūvetustū nouus populus fuerit sanctificatus. Habet germanū hui⁹ Scripturæ intellectū sublatissimis fabulis quas tibi tui sophistæ cōfinixerūt, vt Christ⁹ in cruce figuræ oblationis panis & vini Melchisedec satisfecerit, quodque cōficiuntur & futilib⁹ allegoriis, tabernaculū

o.iii.

liber Legis, vasa testimonii, Apostolos, eorum
 mentes populūmque significauerint: Aposto-
 los autem res cælestes quas necessariò meliori-
 bus hostiis mūdari oportuit. Audacter postea
 indicas quod nescis, meliores hostias esse quas
 in peccatorum remissionem Sapientia macta-
 uit apud Salomonem, Pro. 9, Sapiētia parauit
 mensūm, & cæt. Quæ quantum distent à men-
 te Apostoli, viderint etiam tonsores & cæci.
 Illic enim regni Dei fœlicitatem describens,
 figuris à rerū fluxarū natura desumptis yti-
 tur. Quōd etiā obseruauit S. Mathæus, dū re-
 gnum cælorum Regi cōparat qui nuptias pa-
 rat filio suo, & cōiuas magno apparatu exci-
 pit: quibus apparatus Euangeli & Sacramen-
 torum insinuantur, qui nobis sunt cibis & po-
 tut in vitam æternam. Non enim in solo pane
 viuit homo, sed ex verbo Dei. Illic sunt filiorū
 Dei deliciæ, præparatio ciborum spiritualiū,
 vinum & mēsa sapiētia. Illic fons aquæ viuæ
 exilientis in vitam æternam. Parari enim opor-
 tuit cibos alimoniāmque cælestem. Sic dome-
 stici Sapiētiae Dei à ministris verbi panem cæ-
 lestem sibi postulant, & plerumque non est (iu-
 sto Dei iudicio) qui frāgat. Quatamen ratio-
 ne ista traduxerit vilis ganeo & culinarius im-
 postor

postor ad vnicam salutis nostræ hostiam Iesū Christum, viderit ipse. Quòd etiam transtulerit ad panem & vinū similitudinē Christi & Melchisedec, habet sui similes aliquot Ecclesiæ veteris scriptores, qui putarunt imaginem Christi esse Melchisedec, quia panē & vinum obtulit. Addunt etiam ea referri ad eam veritatem qua Christus corpus suum (qui panis est viuificus) & sanguinē (qui spiritualis est potus) obtulerit. Ea autē nemo reperiat in historia & analogia quā obseruauit Apostolus in Epistola ad Hebræos, cap. 7, vbi ex verbis Mosis nihil est quod Deo fuerit oblatum, sed Abrahæ dūtaxat, quem cum exercitu pane & vino refecit. Quām igitur ridiculi sunt Durande tui sophistæ, à quibus accepisti dato stipendio ut obloquaris & maledicas Deo & sacro Euāgelio, qui oblationē panis & vini ad horrendū illud Mis̄sale sacrificium detorquent? Nam vt Melchisedec sibi habeant cōformem, faterinecessit est panē & vinum in missa offerri. Vbi igitur Chimæra illa trāssubstantiationis quæ pendula accidentia absque substātia relinquit? deinde vbi sacrificia quæ immolauit & mactauit Melchise dec? Corpustamen Christi sacrificiis immolandum tradit sanguinarius Durandus, & plures

successores facit Melchisedec, quum vnicus il-
 li successerit Dei Filius. Supersunt impiæ &
 blasphemæ duæ Durandi sententiæ. Prior, quā
 adscripsit libri sui primi cap. 56. Pótificis Mel-
 chisedecitypū nō referebat Christus, quū pen-
 deret affixus ligno, dānatus sentētia quā pœnā
 sequi oporteret. Qua consideratione longissi-
 mè a Melchisedeco differebat. Tum Christus
 autem Melchisedeco perfectè respondebat,
 quum sui iuris existens, à plebe affectus maxi-
 mis iubilationibus Rex pacis salutatus, atque
 diuinis affectus honoribus, panem & vinum, id
 est corpus & sanguinem obtulit Deo. Poste-
 rior ex eiusdē libri cap. 57. Christus in ara cru-
 cis holocausti verius quām oblationis vicē su-
 biuit. His blasphemias opponimus, Christum
 vnicam esse victimam & hostiam expiatricem
 qua placatus est Deus, quum seipsum cruci ob-
 tulit, vt sua morte nos redimeret: neque solūm
 vnicam esse victimam, sed vnicam quoque im-
 molationē, vt fides nostra crucie ius sit affixa,
 & præsēs nobis semper sit crux Christi, & sacri-
 ficium olim adumbratum, quod tandem ab v-
 no Christo re ipsa peractum est. Ab ipso autem
 vno, quia ab alio nullo poterat: & sc̄mel, quòd
 illius vnius à Christo peracti efficacia & vis æ-
 terna

terna est, vt sua ipse voce testatus est, quum dixit perfectum esse & impletum, id est quicquid reconciliadæ Patris gratiæ, impetrandæ peccatorum remissioni, iustitiæ, salutinecessariū erat, id totū vnicā illa sua oblatione præstītū & consummatū, adeoque nihil deesse vt nul lus postea locus alteri hostiæ relinqueretur. Eat nunc Durandus, & aliud sacrificii genus quærat quo Melchisedec Christus respōderit, & sacerdotis officium peregissc Christum doceat, quum ingressus Ierusalem, illi acclamatū est, Hosāna Filio Dauid. Doceat insuper ipso ingressu Patri corpus & sanguinem obtulisse, quæ semel in cruce obtulerit, vt æternū per manente sacerdotio fungeretur. Vno enim sacrificio semel Christum in omnia secula defunctum esse testatur Apostolus. Voluntate enim Dei sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Item, Christus vna oblatione in perpetuum consummavit sanctificatos. Quibus conuenire non possunt fabulæ Durādi, omnium hominum quos solviderit longè imperitissimi.

Caput Decimum.

SVPEREST ut cæteris omnibus omis-
sis vnum hoc recens dogma ex spiritu
vertiginis Durandinatū, paucis conuellamus.
Apostolos ait ad sacrosanctum Cœnæ decre-
tum & institutum vocatos testes & conuiuas,
adfuisse quidem, corpùsque & sanguinē Chri-
sti sumpsisse, sed (quis credat?) absque Spiritu
Sancto. Nondum enim (inquit) Spiritus san-
ctus missus fuerat, qui ab ascensu Christi expe-
ctandus erat. Addit præterea, & suo vnius pla-
cito pronuntiat, In eos quidem qui post Spi-
ritus sancti aduentum Cœnam celebrat, immit-
ti & traiici posse Spiritum Deimirum nō esse;
in Apostolos autem ante Spiritus infusionem
eam fieri traductionē Spiritus potuisse, nō in-
telligere. Quod ipsum confirmare nititur lon-
ge petito, & à proposito nimis alieno Augusti-
nitestimonio. Ea porro quantum barbara &
auribus Christianis indigna, habentur libri pri-
mi cap. 61 & 62. Ex quibus restè consequitur,
Sine fide Apostolos mensæ Domini partici-
passe, quū fides proprium & peculiare sit donū
Spiritus sancti. Deinde Apostolos Cœnā Do-
mini cum improbo Iuda conspurcasse & pol-
luisse,

Iuisse, ad quam sine fide, sine Spiritu Dei, absque memoria iam tunc futuræ Christi passio-
nis (quod paulò ante testatus est) accesserint,
rudes tanti mysterii, ignari, infideles, Spiritu
Dei vacui, qui que imparati absque sui proba-
tione (quæ donum quoque Spiritus Dei est)
indignè suam sibi Cœnam sumpserunt, iudi-
cium sibi manducauerunt & biberunt. Reliqui
misero homini & phanatico erat ut diceret, Sa-
tanam expleta Cœna, ut in cor Iudæ, sic in ani-
mos & corpora Apostolorū introisse. Quid nō
admiretur Durandus quòd valere iusso Chri-
sto cū Iuda proditore, nō alienati fuerint om-
nes ab eo? Hæc autē sunt apophthegmata ma-
gni regis Antærcticæ & sycophatæ Durandi, ab
utribus vinariis Sorbonicis cōprobata. Verū
nō animaduerterūt homines nimio vino ac pro-
fundō somno sepulti, duplē esse Dei Spir-
itus missionem, quam veteres processionem nū
cuparūt, temporariā & æternam. Temporaria
ea est, qua Spiritus Dei procedit ad illustran-
das hominum mentes, sanctificando regene-
randosque homines, & dirigendos ad fidē ope-
raque fidei ac Spiritus. Atque ex ea, sua sorti-
tus est nomina, ut dicatur passim in Scripturis
Paracletus, Spiritus veritatis, sapientiæ, timo-

ris, promissionis, digitus Dei, virtus Altissimi, aqua & fons viuus, ignis, spiritus vehemens, arthabo hereditatis nostrae, Spiritus intelligentiae, consilii & fortitudinis, Spiritus qui mortificat & viuificat, reuelator mysteriorum Dei: & alia pleraque sancta epitheta & attributa, quæ fusi srecere, & ex Scripturis locos citare operosum esset, & forsä inutile. A Eterna verò, qua ab æterno ex Patre Filioque procedit, vtraq; ab utrisque. Quaque etiā Spiritus Patris, Spiritus Filii, atq; adeò Christi & Spiritus Dei nominetur, vna tamē eadémque individua est & coæterna natura: substantiaque Patris & Filii & utriusque Spiritus est. Quoniā estis filii Dei, inquit Paulus, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Spiritum quem ego mittam vobis à Patre. Quem mittet Pater in nomine meo. Temporaria autē propriè missio appellatur ac donum: eaque duplex est. Visibilis, sub manifestis speciebus ac externis testimoniis apparens, columbae, linguarū ignearum, immissione flatus oris, sibilo auræ tenuis. Invisibilis verò, quū Dei beneficio fides spes & charitas confertur & augetur. Idem autem & unus est Spiritus quem loquutum fuisse per

per os sanctorum quia seculo fuerunt Prophetae, Zacharias cecinit: & quo impulsos loquitos fuisse sanctos Dei homines prædicti Petrus, & qui adfuit Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, nobisque adesse multis argumentis sentimus. Quod dum testatur Synodus Constantinopolitana, statim post fidem in Spiritum sanctum, subnectit, Qui loquitus est per Prophetas. Habet autem Spiritus suas auxilios, minutiones atque defectus, dum hominibus sua clarissima Deus largitur, qua illos dignatur mensura. Ali quando contristatur & extinguitur. Habet manus decem, etiam alia mna, sublata ab eo quinque habebat, conceditur. Recedit a Saulo Spiritus Dei bonus, certus Helisæ duplex Spiritus Eliæ: unicuique autem electorum datur manifestatio Spiritus secundum varia Spiritus dona. Quod autem initio prædicationis Euangelicæ illustrare voluerit Christus munus Apostolicum tam stupendo miraculo, visibili Spiritus concessione, doneque linguarum, factum est ut majorē ex Spiritus sancti præsencia, quae omnibus innotesceret, in commissa sibi legatione fiduciam conciperent Apostoli: intelligemus etiam nos Christum Iesum Ecclesiam suā nūquam deserturum, sed inuisibili sua gratia defē-

surum, quam visibili Spiritus solmissione dignatus erat. Huc pertinet haec promissio Christi, Manatus aquas viuas, tanquam fluminis, a credentibus: quod de Spiritu dictum est a Christo, quem essent accepturi Discipuli signo visibili. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Verum, non hic primum cœpit Spiritus in homines diffundi: prius enim primitias Spiritus acceperant Apostoli. Nam vnde fides, nisi a Spiritu sancto? Evidenter a mundo constituto exhibita Spiritus Dei gratia; nendum a Christi morte et tunc tamen illostrior magisque conspicua. Manifestauit (inquit Christus) nomine tuum hominibus quos dedisti mihi ex mundo: Apostolis nimis ex quibus illic soluta perditionis filium periisse testatur. Verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi receperunt, & crediderunt quod tu me misseris, & glorificatus sum in ipsis, Ioan. 17. An vero Recipere verba Dei, In eum credere, Gloriari praestare Deo, absque Spiritu Dei esse possint, videris Durandum: nobis tamen sunt inter aliam. Ea autem facta fuisset ab Apostolis ante Christi mortem, ipsa etiam Veritas testatur. Equidem non inficio plurima fuissent Apostolis implicita, tu in fidem tuam cognitione, docte plenissimo

simō copiæ cornu illo solenni Pentecostes die, à Dei Spiritu edo&iamp; confirmati, amplissima dona suscepérint, & vberē illuminationē adepti sint. Principio quidē rudes, vix etiā ipsa elementa gustabant, & hærebant in minimis. Postea magis edo&iamp; , & miraculis conuicti, adhuc sese attollere nequeūt, & natuā tarditatē exare, vt plena fide possent ad perfectā resurrectionis Christi certitudinē & ~~m̄p̄p̄p̄p̄~~ deduci. Verūm quū veræ, licet imperfectæ, fidei testimoniū acceperint à Christo, ea prorsus vacuos facere nefas est. Quorsum enim illa anxietas uanimi & solicitudo, vt toties Christi sepulchru reuiserint? Fides igitur eorum concussa, multis procellis, & persecutionum metu agitabatur, sed non destituta fuit Dei auxilio: quod exitus ipse probauit. Nisi enim superasset quædam persuasio futuræ resurrectionis Christi, concidisset proculdubio illis omne studiū, neque de monumento fuissent solliciti. Illorum certè fides caligine obuoluta erat, non autem desperita. Neque enim piorūm fides adeòcōcuti potest vt omnino pereat, qui etiam vtvt postea credere dicantur, quum re ipsa sermonum veritas cōprobatur: non tamen quia tunc primū suæ fidei elementa iaciant: sed quia fidei semen

recepto vigore emergit. Frustra siquidē petiissent Apostoli (inquit Augustinus) ut augere-
tur eorum fides, nisi sua sibi fides comperta
fuisse. Atque ut tādem desinat nebulo Durā-
dus Augustino imponere, quem suorum men-
daeiorum testem citat, legat quæ scripserit ille
octogintatris quæstionū libro, quæst. lxii. Spi-
ritus sanctus latēter dabatur ante Domini cla-
rificationem, post diuinitatis manifestationē
aperius. Nam si non erat in hominibus Spi-
ritus sanctus ante Domini visibilem clarificatio-
nem, quomodo potuit dicere David, Spiritū
sanctū tuū ne auferas à me? Et quomodo im-
pleta est Elizabeth & Zacharias ut propheta-
rent, & Anna & Simeon, de quibus omnibus
scriptum est impletos fuisse Spiritu sancto? Vi-
autem quædam latēter, quædam autē per crea-
turam visibilem visibiliter Deus operetur, per
tinet ad gubernationem prouidentiæ, qua om-
nes diuinæ actiones locum temporūmque or-
dines, distinctione pulcherrima peraguntur.
Dubitabit, ut est impius Durandus, Virginem
Mariam ~~magis~~, & Stephanum Spiritu san-
cto plenum. Quia in etiam Dominus promissi-
one animos nostros cōfirmat, nē quis frustra
se Spiritum à Deo petiturum esse existimat. Si
vos

vos, quum sitis mali, hostis bona dare filii vocationis, quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum sanctum poscentibus? Atque ideo Christum induunt fideles, Christo sunt inserti, quia Spiritus sanctus vinculum est quo sibi efficiat Christus suos deit inicit. Id vero quum omnibus piis, quotquot à constituto mundo fuerūt, commune sit, poterit Getha Barbarusque Durandus id ipsum Apostolis negare? quos nobiscōstituit Dominus magistros, patres, ac suæ Ecclesiæ columnas? Per me liceat etiam effrōti Durando fidem Dei seruum Mosen, fideliū patrem Abrahām, tres illos iustos à Deo per Ezechielem nominatos, impios, infideles, & vacuos spiritu Dei dicere, quorū mors aduentum in carne manifestati Christi longissimè præuenit. Beatus est Simon Barionæ, qui à Spiritu sancto edocitus, dixerit Christum filium Dei viui: & verba vitae æternæ Christū habere. Thomas, qui Christi diuinitatem & humanitatē agnouerit, quum in hac verba prorupit, Dominus meus & Deus meus: utrumque tamē, authore Satanicō & Sorbonicō spiritu, dicet impunē Durandus absque spiritu sancto loquutu esse. Atquidocē sacra Dei cloquia, nemine dicere posse Domini Iesum nigrum Spiritu sancto! Ne
 ——————
 p. i.

minem qui Spiritu Dei loquatur, dicere an a thema Iesu. Histrioni huic & tragico personat roque Regi omnia licent, cæcutiente in primis Magistratu, cui^r religionis prima cura esse debuit, ne audacolorum hominum improbitate, Dei cultus & sacræ Scripturæ authoritas violetur. Tu vero Dñs ad Balaam, sciens & vo lense conuictiariis Christo, in expiabilitatemque horum de spiritu blasphemix: utque tibi gloriosum esse putas, quod diuinæ veritati; quam pridem professus es, resistas destitutam malitia, ac manifesta à Deo aversione: & apostasia furis & iniurias in Dei verbum. Tales omnino negat Apostolus ad poenitentiam surgere posse, quod æterna cæcitate iusto Dei iudicio percussi sint.

C A E T E R O V M, quoniam memini me priore libro dixisse quod multis precibus contradicrit Durandus à Calvino ut instituēdæ collationādæque in Americam religionis author esset, id quoque comprobabo. Et quidem scio tuū epistolarum apud me fuisse exemplaria magni huius regis Villagagnonis, eiusdem argumentū, sed ea diligenter quæsita nō reperi, præter hoc unum quod hic bona fide ad verbum træscribi curauimus, ut intelligent omnes quām vanum, futile, & inane sit hominis fanatici ingeniū, qui apparat.

apparato fuso religionem Christi mentitus sit, ac si quid in eo recti fuit consilii, statim euomuerit, atque adeo turgida postea fastu sibi regiam dignitatem, Senatum, publicamque potestatem finxit. Sunt autem huiusmodi:

Exemplar literarum Villaga-

*G N O N I S , Q V I A S E X A M E R I C A
ad Ioannem Caluivum scripta.*

XTH PRIMI non posse puto quo me affecerint gaudio literæ tuæ: & qui ad me vñā venere fratres, huc metredactū inueniérūt, vt mihi magistratus gerēdus esset, & munus Ecclesiasticum subeundum: quæ mihi res maximā anxietatem obtulerat. Ozias ab hac viæ ratione me auerrebatur, sed præstandum erat ne operarii nostri, quos mercedē traduxeram, gentis adducti consuetudine, eius se vitiis contaminarent, aut religionis dessuetudine in apostasim deuolueretur. Quam mihi solitudinem ademit fratrū aduentus. Adiecit hoc etiam commodi, quod si quæ ex causa posthac nobis erit laborandum, aut

p. ii.

periculum incurendum, non deerunt qui mihi sint solatio, & me consilio iuuent. Qui usque facultatem abstulerit periculi nostri suspicio. Qui enim fratres mecum e Francia traiecerat, rerum nostrarum iniquitate permoti, alias alia causa illata A Egyptum repetiuerant. Qui fuerant reliqui, homines egentes, mercede condueti, quos pro tempore nancisci potuerā, eorum hæc erat cōditio, vt ab eis mihi potius esset metuendum, quam petendum solatum. Hæc autē huius rei causa est: Vbi appulimus, simul omnis generis se nobis opposuere difficultates, vt vix initem rationem quid potissimum esset agendum. Regio erat in cultissima, nulla erant recta, rei frumentariæ nulla copia: sed aderant homines feri, ab omniciu & humanitate alieni, moribus & disciplina penitus discrepantes, sine religione, honoris, virtutis, recti aut iniusti villa notitia, vt me subiret dubitatio an in bestias humana specie præditas, incidissimus. Contra hæc incommoda erat summo studio & celeritate nobis præsidiendum & comprandum remedium, dum naues ad redditum instruebantur, ne eo subsidio destitutos, indigenæ rerum nostrarum capti cupiditate, nos impotatos opprimerent & interficerent.

Huc quoq;

Huc quoque accedebat Lusitanorum infida vi
cinitas, qui et si quam incolimus regionē tueri
nō potuerūt, huc tamen nos esse intromissos se-
rūt ægerrimè, & insano odio nos prosequūtur.
Eā ob rē vno tēpore hæc omnia se nobis agēda
proponebāt. Receptui nostro locus deligēdus,
expurgādus & cōplanandus: munitiones circū-
ducēdæ, propugnacula excitāda, tecta ad impe-
dimentorū custodiam extruenda, materia con-
quirenda, & aduerso colle, locis impeditissi-
mis, humeris ob bestiarum penuriā comportā-
da. Præterea quòd indigenæ in diem viuant, &
agriculturæ non studeāt, nullo certè loco ciba-
ria cōgesta reperiebam⁹: sed erat victus noster
à longinquo carptim petēdus. Qua ex re manū
nostrā (quantulacunque esset) distineri oportē-
bat & minui. His adducti difficultatib⁹, qui me
amicitiæ causa sequuti fuerāt, reb⁹ nostris dif-
fisi (vt suprà demonstrauimus) pedem retule-
runt. Ego quoque non nihil commotus sum:
sed quum mecum reputarem amicis affirmasse
me hac ratione è Francia mouere, vt quam curā
prius rebus humanis imperderam, eius studii
comperta vanitate regno Christi excolēdo ad-
hiberē, iudicaui me in voces & hominū repre-
hensionē incursurū, & nomini meo iniuriā fa-

p.iii.

Qūrū, silabor aut periculi opinio à cœpto mē
 deterreret. Præterea quum Christi negotiū ge-
 rendum esset, credidi hunc mihi non defuturū,
 sed ad fœlicem exitum omnia perducturū. Er-
 gō me confirmavi, vīmque omnē ingenii intēdī
 in rationē eius rei perficiendæ quam sūma vitæ
 mēæ deuotione suscepereā. Hac autē via id af-
 sequi me posse existimavi, si vitæ integritatē
 hoc meū propositum comprobarem, & quam
 operariorum manum traduxeram, ab infideliū
 consortio & familiaritate auerterem. In eam
 sententiam animo inclinato non sine Dei pro-
 uidentia factum esse visum est, vt in hæc nego-
 tiā inuoluerem ir: sed id, ò hæc accidisse ne o-
 tio corrupti libidini & lasciuiae operā daremus.
 Præterea succurrit nihil esse tam arduum quin
 conando superari possit: proinde ab animi for-
 titudine petendū esse auxiliū, & cōtinentalabo-
 re familiā exercendam, huic nostrō studio Dei
 beneficentiam non defuturam. Itaque in In-
 sulam duobus millibus passuum à continenti
 remotam transmisimus, ibique domicilio no-
 stro locum delegi, vt adempta fugæ facultate
 manum nostram in officio continerem, &
 quod fœminæ sine viris suis non effet ad noscō
 meaturæ, delinquendi occasionem præriperē.

Acci-

Accidit tamen ut de mercenariis vigintisex voluntatis dilecti cupiditate in meam nec conspi- rauerint. Sed die constituta consilio exequendo, res est mihi per unum ex consciis enuntiata, eo ipso momento quo ad me opprimendum armati adma turabat. Hoc modo periculum effugimus. Quinque ex meis domesticis ad arma conuocaui, & aduersus ire coepi. Tum tantus coniuratis incessit terror, tanique perturbatio, ut nullo negotio facinoris autores quatuor, qui mihi fuerat designati, corripuerimus, & in vincula coniecerimus. Eo casu reliqui consternati, positis armis delituerunt. Postridie unum catenis exoluimus, ut suam causam diceret liberius, sed effuso cursu in mare se precipitem egit & suffocauit. Reliqui, ut ex vinculis causam dicerent, adducti, si ne quaestione ultrè exposuerunt quae per indicem comperta habuimus. Unus ex ipsis paulò ante a me castigatus quod scorto se coniunxit, iniquiore esse mente cognitus est, & ab se coniurationis initium factum esse, atque scorti patrem muneribus devinxisse, ut cum è nostra potestate eriperet si scorti copula prohibere contenderem. Hic suspendio, sceleris poenas luit: duabus reliquis delicti gratiam fecimus, ita tamen ut in catenis terram exercent. In a-

p. iii.

liis quid esset peccati, exquirendum esse mihi
 non putauit, ne compertū scelus inultum omit-
 terem, aut si supplicio castigare vellem, quum
 facinus ad multitudinē pertineret, non super-
 essent qui opus à nobis institutum perficerent.
 Itaque dissimulata animi mei offensione, pec-
 catū condonauim⁹, & omnes bono animo esse
 iuslīm⁹. Non ita tamē à sollicitudine nos abdu-
 xim⁹, quin quid in vno quoq; esset animi ex stu-
 dio, curāq; sua quotidianā diligētissimē venare
 mur: & quū labori eorū nō parcerē, sed assidua
 mea præsentia ad opus vrgerem, non solum
 prauis consiliis viam præclusimus, sed breui
 tempore insulam nostrā munitionibus & va-
 lidissimis propugnaculis sepiuimus. Interim
 pro ingenii mei captu eos monere, & à vitiis
 deterrere non desistebam, atque mentes eo-
 rum Christiana imbuere religione, indictis à
 me manē & vesperi publicis & quotidianis pre-
 cibus: qua cautione, & diligentia reliquam an-
 nī partem quietiorem habuimus. Cæterū e-
 am quam exposuimus curam, nobis ademit
 nauium nostrarum aduentus. Hinc enim na-
 etus sum viros à quibus non solum mihi sit mi-
 nimē cauendum, sed quibus salutem meā tutō
 possim

possim committere. Hac oblata mihi facultate decem ex omni copia delegi, apud quos Imperii nostri potestatem deponerem : decernens ut nullæ res posthaec nisi consilio gerantur, adeò ut siquid in quæquam durius statuerem, nisi cōsilii authoritas & consensus accederet, infirmū esset & inane. Hoc tamē mihi reseruavi, vt lata sententia, supplicii veniam dare mihi liceat: sic omnibus prodesse, nemini nocere possum. Hędemum sunt artes quibus dignitatem nostram retinere, tueri & propugnare constitui.

Addam, cōsiliū quod literis tuis adhibuisti, summa animi contētione operam daturus, ut ne vel tāillum ab eo deflextamus. Hoc enim certè nec sanctius, nec rectius, nec sanius ullum esse, persuasum habeo. Quamobrē etiā tuas litteras in Senatu nostro legendas, deinde in acta transcribendas curauimus, vt si quando à cursu aberrare contigerit, earum lectio ab errore reuocet. Dominus noster Iesus Christus ab omni malo te tuosque collegas protegat, Spiritu suo vos cōfirmet, vitamque vestram ad opus Ecclesiæ suæ quām longissimè producat. Fratribus meis charissimis, N. N. fidelibus plurimam salutem meis verbis velim impertias.

Collignio, è Francia Antarctica, pridie Kalendas Aprilis, 1557.

Si ad Renatam Fraciæ, Herā nostram, quidpiam literarum dederis, hanc quæfo meo nomine diligentissimè saluta.

Tuus amanssimus, cupidissimus
ex animo, Nicolaus Villagagno.

H A E C tum ille: ex quibus agnoscere possumus fucum hujus camæleontis, atque impiam vanamque stolidi nebulonis mentem, quam etiam apertius reliquæ duæ, si superfuissent, literæ, detexisset. Hic enim, quum sit paxillo nudior, acne sua quidem pelle tegi possit, sic tamē rapitur falsa rerum imagine, vt existimet se medium thus pedere, sibi merū Imperium, regalia sceptra, magistratum, Senatum, albū, acta publica, & cæsara quæ ad monarchiam pertinent, adseribat, miser alioqui, algens & vialis ganeo, Iro, Codróque pauperior. Sed somnial nimirū sibi contigisse quod Melchisedeco & Christo, vt cum regno sacerdotium coniunxerit. Quomodo autem è Francia mouerit hic Sycophanta vt omnem suam curam regno Christi excolesto adhibe-

adhiberet in illa Antartica, vbi in Christi seruos truculenter saeuit, quos fide data suscep-
rat, vt illi essent solatio, & eum cōfilio iuuarēt,
prius ostensum est. Nos verò vel sanam illi
mentem, vel Dei iudiciū imprecari parest: no-
bis ipsis verò quietem ab ipsius calumniis opta-
re, vt cursu nostro defuncti, ad æternam illā re-
quiem tandem perueniamus.

E X C V S V M H I E R A P O L I ,
P E R T H R A S Y B V L V M
P H O E N I C V M , A N N O
M . D . L X I , D E C I M O -
S E X T O K A L . O C T O B R .



